Jahresbericht

über den Zustand

des

Königlichen Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

zu Köln,

während des

Schuljahres 1856—57,

erstattet von

D. Heinrich Knebel,
Director des Gymnasiums.

Mit einer wissenschaftlichen Abhandlung: De Tacito dialogi, qui de Oratoribus inscribitur, auctore [illegible] *Dr. Fr. Weinkauff*. Particula prior.

Köln, 1857.
Druck von M. DuMont-Schauberg.

DE TACITO DIALOGI,

QUI DE ORATORIBUS INSCRIBITUR,

AUCTORE.

DISSERUIT

Dr. FRANCISCUS WEINKAUFF.

PARTICULA PRIOR.

Post leves Beati Rhenani [1]) suspiciones clarissimus ille sospitator Taciti, Justus Lipsius [2]), sermonem eorum quos Tacitus composuit libros et dialogi, qui de oratoribus inscribitur, valde diversum esse, primus vidit. In Tacito enim, ut ipsius verba adferam, stilum ait constrictum ubique, teretem, acutum, et severum magis quam lepidum, in dialogo omnia contra: neque mutari illum in aetate aut argumento umquam potuisse ita, ut prorsus a sese abiisset. Quidquid Cicero scripserit, iuvenis, senex, philologum, philosophum: in eis tamen lineamenta quaedam adparere eiusdem viri et vultus: nec aliter fieri in omnibus nobis. Neque Curtius Pichena dubitavit huic Lipsii de dialogo sententiae suffragari, qui prorsus nihil hic esse, quod Taciti phrases stilumque redoleat, haud ambigue iudicavit. Ex eo tempore multi exstiterunt homines doctrina et ingenio praestantissimi, qui talium virorum vestigia persequerentur, unoque ore conclamarent, intercedere tantam in genere dicendi diversitatem, ut fieri non posset, quin eundem scriptorem tam dispari orationis forma uti potuisse omnes sano iudicio praediti negarent. Nostra potissimum aetate duo imprimis docti viri hanc viam Lipsii auctoritate praemunitam sunt ingressi: Frid. Aug. Ecksteinius et G. Bernhardyus [3]).

Concedunt illi quidem antiquitus tradita testimonia ipsiusque Plinii (Epp. 9, 10 fin. „poemata — quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas“, quem locum aperte ad dialogum respicere Ad. Gottl. Langeus [4]), magister olim Portensis, plerisque doctorum hominum persuasit) auctoritatem gravissimam videri vindicasse dialogum Tacito. Etiam per aetatis rationem et propriam scriptoris indolem dialogum Tacito recte convenire. Sed summam superesse difficultatem in dicendi genere a Taciti more et usu et arte plane abhorrente positam.

Tacitum quidem dicendi genere conciso, brevi, sublimi, nervoso nec raro duro et aspero esse usum; dialogi auctorem uti paucis exceptis, qua Eckstein (p. 74) asperiora et fere vituperanda videntur, genere fuso et aequabili, copioso, ornato imprimisque eleganti: illum admodum fuisse perspicuitatis studiosum, alienum a brevitate affectata atque enuntiatorum forma contorta et ita numerosum ac concinnitate membrorum et gravitate clausularum distinctum, ut Ciceronis adsiduam imitationem adgnoveris.

---

[1]) Editioni Basil. ap. Froben. 1533 accessit Thesaurus constructionum locutionumque et vocum Tacito solennium, fortasse causa et origo dubitationis Rhenani, quam in principio scholiorum pronunciat his verbis: Hunc dialogum vix crediderim esse Taciti.

[2]) Prima Lipsii editio prodiit a. 1574 Antverpiae ex officina Plantiniana, in qua dialogus sic inscribitur: Fab. Quintiliani, ut videtur dialogus, Cornelio Tacito falso inscriptus. — Posteriores editiones prae se ferunt inscriptionem: vulgo inscriptus.

[3]) Eckstein, Prolegomena in Taciti, qui vulgo fertur, dialogum de oratoribus. Halis Sax., 1835. 4. — Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur. 3. Bearb. Braunschw., 1857. p. 712—714.

[4]) Lange, dialogus de oratoribus Tacito vindicatus, in Beckii Actis seminar. reg. et societatis philolog. Lipsiens. Vol. 1. p. 77 sq. Hoc argumento nihil firmum probari demonstravit F. Haaseus, qui Taciti opera a. 1855 edidit, in pulcherrimis Proleg. de Taciti vita, ingenio, scriptis p. 15. Gallici cuiusdam docti viri virtute et sagacitate litem quae est de auctore dialogi diiudicatam esse statuit A. Widal, qui Parisiis a. 1852 in Taciti dialogum de or. disputationem edidit. A. Dupraei dissertatione a. 1848 Sti. Caleti edita ait demonstrari dialogum de or. nec Quintiliano nec cuivis alii, sed Tacito esse adiudicandum. Epistulam, quam supra memoravi, Plinio abiudicat Dupraeus (p. 45) Tacitoque vindicat, ex hisque verbis „poemata quiescunt“ sui propositi tenax, ostendere conatur a Tacito fuisse poemata saepius conscripta ideoque non esse mirum, si poeticis verbis et luminibus dialogus ut cetera eius opera scateant. Haec verba ex Widalio exscripsi, quum ipse Dupraei libellum inspicere non potuerim.

Omnem autem in oratorio ornatu, omnem in grammaticis rebus consensum, omnes a Langeo aliisque inventas locutiones, quae Taciti propriae videantur et numero perpaucas esse neque nisi operosas levisque momenti minutias, quibus in tanta totius formae diversitate nihil possit evinci, quum universus delectus verborum et sermonis conformatio et componendi dialogi ratio et ars nihil quidquam habeat consuetudinis vere Tacitinae.

Quae vero discrepent, adseverat Bernhardyus (p. 714), permulta maximique esse momenti neque in ea re levissimarum particularum usum esse neglegendum; huiusmodi esse, verbi gratia, quae in dialogo saepissime recurrat „autem" particulam, quae in omnibus Taciti scriptis vix decies reperiatur.

Similiter notavit Leonardus Spengelius, vir eruditissimus, (in programmate academico, quo Friderico Thierschio gratulatur, edito Monaci, 1852, p. 9) scriptorem dialogi pronomine „ipse" mire delectatum et abusum esse; nam in hoc uno libello fere centies repetitum inveniri.

Et Henricus Gutmannus [1]), Helvetius, frequentem „hercule" interiectionis usum vehementer increpuit; incredibile enim esse arbitratur scriptorem quemcunque in uno libro vocabulum aliquod vel formam aliquam dicendi, praesertim quae nihil ad rem faciat, saepius adhibiturum fuisse, in ceteris paene nusquam. Quum Bernhardyus formam dicendi simplicem et ab affectata ac putida ratione remotam et, quantum per ea tempora licuerit, proxime ad integram Latinitatem accedentem summis efferat laudibus, quum ipse Lipsius dialogum esse censeat optimum stilo, inventione, iudicio, ita ut in hoc genere conferre nihil vereretur cum eis quae optimi saeculi et optimae notae, idem Gutmannus [2]) contra in dialogo multa contorta et neglecta et Latinitatem iam labentem redolentia (ut substantia facultatum, utilitates alere, negotium sibi importare, alia) invenisse sibi visus est. Etiam numerum oratorium carere vitiis negat: verbis, quae capite 7. leguntur „latus clavus oblatus est" offensus adnotat male sonare quae simile sonent, et cap. 34. „interesse — interesset" haec molestissime iterari existimat. Praeterea permulta in dialogo reperiri bina vocabula idem vel simile fere significantia, quae grammatici συνώνυμα vocant, ut metus et terror, carmina et versus, vis et potestas, fortuita et subita dictio, angustis et brevibus terminis: ridiculum scilicet binis pariter incedentibus uti verbis, ubi singula sufficiant.

Eichstadius [3]) quoque scriptori vitium tautologiae exprobrat cumque abundanter magis quam copiose et ornate scripsisse censuit. Ac profecto ego equidem minime adsentior Haackhio, qui in Lexico Reali a Paulyo aliisque conscripto (VI., 2, 1570) spretis dubitationibus, quas movit et movet stili diversitas, Lipsium ὑπερκριτικῆς et nescio cuius petulantiae ac ludibrii condemnaverit.

Sive cum Cicerone, sive cum Tacito comparamus dialogum, versari videmur in quaestione pariter lubrica. Qui fieri potuit, ut summi ingenii homo, quo neminem alium magis suis armis usum esse novimus, qui nova quaedam et exquisita orationis itinera excogitavit, ad imitationem descenderet? Nam merito laudatur illa Taciti brevitas et densitas quaedam sermonis, excelsitas ac gravitas sententiarum, nova vis verborum, casuum, modorum, audacia quaedam in construendis participiis ex Graecorum imitatione sumpta, abrupta et dura enuntiatorum structura, varietas et decor similior poetis, denique grandis ille et σεμνῶς profluens annalium stilus.

Agricolae quidem vita a Tacito anno 97 aut 98 p. Ch. n. conscripta insignis est perfectis plenissimisque periodis et laeta oratione, tamen non desunt abrupta quaedam, concisa et subobscura, quae Tacito tantopere placent.

In Germania edita a. 98 aut 99, si comparaveris cum Agricola, sententiae breviores, membra minutiora, varietas constructionum exquisitior.

---

[1]) Gutmann, Dissert. qua Tacitum dialogi de oratoribus scriptorem non esse demonstratur; in ed. Orell. Turici, 1830. p. 110 sq.

[2]) Ut acerrimum hunc et dialogi et Pliniani testimonii adversarium quasi in ipso proelio pugnantem videas, ex eiusdem epistula tumultuaria et obiurgatoria validos quosdam sensus adponam. »Universa Taciti scripta, inquit Gutmannus, tantum discrepant a dialogo, tam fortiter animos legentium commovent, tantopere delectant: hic autem libellus tot vitiis et in verbis et in sententiis laborat, ut nemo subtiliore sensu praeditus sibi persuasurus sit, Taciti librum esse quem legat. — F. A. Wolfii iudicio accedendum esse reor, dialogum magno illo viro indignum esse. — Vestigia Latinitatis in deterius paullatim labentis insunt, corruptus interdum sermo, satis vigoris, sed saepe contorti. »Aureolus iste dialogus« (Wolfii verba significat Gutmannus) non ex auro puro compositus, sed vilioribus metallis mixtus. Non Ciceronis, non Livii elocutionem ubique audimus, non Sallustii, neque ipsius Taciti. Quamvis multi loci sine dubio egregii sint, tamen quaedam minus bene dicta satis arguunt, eius auctorem non iniuria conquestum esse de corrupta eloquentia.« Haec Gutmannus.

[3]) Eichstaedt, De dial. qui inscr. de or. Jenae, 1839. 4.

Historiae vero editae anno 105 aut 106, beatissimo Traiani principatu, copia, nitore, numero, laetiore ac pleniore sermonis decursu sunt praeclarissimae. In Annalibus anno 115 aut 116, aetate iam ad senium vergente, conscriptis cernitur perfecta historiae componendae species quam Tacitus animo conceperat: quot verba, tot pondera: abundantia, luxuriantia prorsus recisa, nihil fere e sermone vulgari petitum, ita ut cum admiratione quasi cothurni sonum, cum sancta reverentia quasi vocem summi rerum arbitri audire videamur.

Omnia autem haec scripta, etsi non ubique eundem, ut ita dicam, colorem, tamen unum eundemque vultum sermonis prae se ferunt, ut de Tacitina origine, si Heldium unum de Germania incertum exceperis, nemo unquam mortalium dubitare ausus sit. Ut his libris sublimitas et gravitas et proprietas elocutionis insidet Taciti, ita in dialogo eminet Ciceronis summa et admirabilis imitatio.

Hanc non solum argumentum ipsum, ut I. F. Klossmannus (Proleg. in dial. de or. Vratisl. 1833. 4.) ostendit, et multitudo similium sententiarum et magnus in singulis vocabulis et dictionibus consensus testantur, sed ipsi interlocutores[1]) qui omnes ne Apro quidem excepto magna tenentur Tullii admiratione. Huius principis oratorum eloquentiam quod nemo aemulari potuerit, ingeniorum defectioni, quod ne cupiverit quidem iudiciorum pravitati tribuendum esse censet auctor dialogi, qui Ciceronis de philosophia scriptiones atque orationes et studiosissime coluisse videtur et pervolutasse saepissime. Illud diversum dicendi genus et imitationem Tullianam omnes, quotquot dialogum a Tacito profectum sibi persuaserant, quamvis ingenue concederent, tantum tamen discrimen excusatione aliqua egere putabant et alius alio modo origini Tacitinae patrocinabatur.

Multi natura intercedere dixerunt discrepantiam inter genus historias scribendi et humiliorem dialogi stilum, laudato Demetrii Phalerei dicto: *διαλογική ἐστιν ἡ περίοδος ἡ ἔτι ἀνειμένη καὶ ἁπλουστέρα τῆς ἱστορικῆς.* Aliud esse historiam rerum gestarum, aliud alicuius quaestionis disceptationem conscribere. Ita iam Plinium Epp. 5, 8: „Habet quidam oratio et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat sane illa, narrat haec: sed aliter: huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt: hanc saepiús ossa, musculi, nervi, illam tori quidam et quasi iubae decent: haec vel maxime vi, amaritudine, instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet: postremo alia verba, alius sonus, alia constructio.“ Nec mirum esse putant quod scriptor dialogi nullum quem imitetur digniorem habuerit quam summum apud Romanos in dialogis artificem dicendi, Ciceronem.

Nonnulli ut Tacito libellum pulcherrimum vindicent, et a reprehensionibus defendant, immaturam scriptoris aetatem obtendunt: cum temporibus vitae facile genus quoque dicendi mutari et quod adulescentis fuerit laetum, luxurians, profluens ac floridum, senis fieri concisum, breve, grave, sobrium ac maturum: quale ipsius Annalium et Historiarum sit, ad quae scribenda iam senex sub Nerva et Traiano animum adpulerit.

Sic nuperrime Franciscus Ritter, V. Cl., iudicavit (Tac. Ann. prooem. p. 12) dialogum in dispositione quaestionis ita pendere ab Hortensio Ciceronis atque in elocutione eam ostendere ubertatem et quandam iuvenilis aetatis abundantiam et immaturitatem, ut hoc opusculum ab auctore, qui magis profecisset usuque et experientia didicisset quod maxime probandum esset genus dicendi, non compositum esse videatur.

Alii vero ex ipsius scriptoris consilio repetierunt differentiam, qui suum cuique personae sermonem accommodaverit, qui causidicum artibus rhetoricis, poetam altiore et audentiore elocutione, rerum civilium et philosophiae peritissimum laudatorem temporis acti oratione, antiquis iucunditate copia subtilitate simillima, instruxerit. Neque quisquam facile negabit, et contentionem coloremque orationis variari in singulis partibus dialogi, neque deesse temperamentum longissimarum periodorum et breviter acuteque dictorum. Quae concinnitas in Apri disputatione qui veteratoria sollertia et superba sui admiratione laudes eloquentiae forensis pertractat! Quae species et maturitas et elegantia sermonis et sententiarum Messalae! Quae elatio orationis, quae audacia poetarum propria, quod acumen, quantus numerus in responsione Materni arcanos intimi pectoris recessus recludentis!

Inventi sunt etiam qui quum ne initia quidem quamvis tenuia illius proprietatis[2]) reperiri, qua

---

[1]) De Materno quem Dio Cassius auctor est iussu Domitiani interfectum esse *ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν* cfr. Eckst. 9; de Apro 11; de Secundo 13; de Messala 17.

[2]) Inscius quasi et invitus, Langeo quidem iudice, Tacitus in dialogo vestigia quaedam et indicia sermonis in reliquis scriptis obvii reliquit.

reliqui libri praecellunt, confiterentur, Tacitum tamen artificio quodam et consulto propriam naturam occultasse statuerint. In his nominandi sunt Ludov. Doederleinius et Frider. Haaseus, qui praestantissimi Taciti editores obtrectatoribus dialogi nimium concessisse videntur. Nam ipse Hofmannus-Peerlkampius[1]) alioquin sane non credulus homo, sed κριτικώτατος, tamen vel ex singulis verbis et dictionibus ipsum Tacitum ut ex ungue leonem perspici arbitratur.

Quin etiam Eichstadius, quamquam Tacitum auctorem dialogi fuisse negat, tamen quum adversariis largiretur, scriptorem bene versatum fuisse in legendis Ciceronis, Quintiliani, *Taciti* et Plinii iunioris scriptis saepeque in delectu et usu singulorum verborum Taciti vestigia legisse, aliquid Tacitinum, quamvis ab imitatore quodam profectum, deprehendi concessit.

O rem mirificam! ipsi adversarii Tacitinae originis Tacitini nonnihil adgnoscunt, propugnatores acerrimi vero nihil vident. O quaestionem perdifficilem! nam praeclaris in utraque parte doctissimorum nominibus gloriantur,

Quum igitur in hac lite litteraria per tria fere saecula iam a tot tantisque viris agitata tanta cernatur dissensio, ut multi homines, quemadmodum olim Lipsius ambigens quaestionem eo responso finiverat: sibi non liquere, ita hodie quoque vix ad liquidum perduci posse desperent, quisnam mortalium dialogum conscripserit: ego quidem perbene intellexi me causam ancipitem et opus periculosae aleae plenum adgredi, qui post tot disputationes doctissimorum hominum novam hac de re dissertationem vulgare conatus sim. Ipsa autem quaestionis difficultas voluptate quadam animum meum adeo ceperat ut, praesertim quum in utramque partem satis disputatum et ab utraque parte multum concessum videretur, tandem quaestionem absolvi posse confiderem.

Itaque contra Lipsii aliorumque auctoritatem demonstrare conabor,

primum potuisse uti Tacitum eo quod in dialogo adparet scribendi genere,

deinde Tacitum per quoddam vitae tempus hoc genere usum esse,

tum universam indolem et ingenium dialogi sensus ipsius Taciti referre,

postremo in sermone et arte dialogi, si altius singula perscrutamur, Tacitum non posse non adgnosci.

Hoc quarto argumento nititur quasi fundamento tota nostra disputatio.

Quum neque priorum dialogi editorum sex septemve exemplis aut Tacito similibus aut contrariis quidquam certi effectum esse, et modica Ecksteinii vocabulorum conlectione (cfr. p. 80—83 egregiae dissertationis) et Car. Theod. Pabstii[2]) docta editione (Lips. 1841), qua etiam rhetoricorum exempla diligenter notata sunt, rem tantum incohatam intellegerem, animum induxi eam quae una mihi patere videbatur viam, sane plenam laborum, ingredi ut, si meis viribus fieri possit, res in meliorem certioremque statum provehatur. Accurata igitur lectione et acri diligentia investigavi, quatenus dialogi ars et sermo omnino cum Tacitinae orationis genere consentiant.

Neque enim est profecto tanti, pauca vel dissimilia vel similia deprehendisse: totum genus mihi perscrutandum visum est.

Singula quidem, etiam quae levissima videbantur, adnotanda, diversitates ingenue in publicum proferendas et quantum fieri potest excusandas, maxime vero Tacitina vestigia quae desideravit Lipsius indicanda et in scriptore prorsus novatore et ubique fere ab usu vulgari recedente consensum vel in minimis rebus demonstrandum esse putavi. Neque nos terruit Ecksteinii sententia, totum hoc argumentum nihili esse, nihil ex singulis effici posse in tanta totius formae diversitate: haud ignoro, ex singulis verbis, formulis, structuris nihil probari, sane, si singula reputantur: at si conspirant, saepissime multitudo cedit in pondus.

Hoc meo *Latinitatis indice* confecto, mihi quidem quaestione proposita, num scribendi genus dialogi videatur eiusdem esse posse, cuius et Agricola et Germania et Historiae cum Annalibus sunt, manifestissimum erat non solum in conformatione enuntiatorum, in dispositione sententiarum artificiis-

---

[1]) Hofmann-Peerlkamp, Biblioth. critic. nov. I. fasc. 1. p. 100 sq. »Saepissime auctor dialogi, inquit Peerlkampius, ita scribit, ut praeter Tacitum nemo umquam scripsit. Hoc interdum perspicitur exemplis quibusdam quae nonnulli fortasse ducent leviora, ego non duco. Nam sicuti multi homines hoc habent, ut ex incessu motuque corporis eminus dignoscantur iidemque alium incessum motumque fingere ac simulare perpetuo non possint, ita Tacitum sua ars et ratio satis manifestum ostendunt: natura illius ubique recurrit et quasi flamma, ut ait poeta, indicio proditur ipsa suo.«

[2]) Eiusdem viri docti Eclogas Tacitinas et editiones Hübschii (1837) et P. C. Hessi (1841) mihi non fuisse praesto, vehementer doleo.

que rhetoricis, sed etiam in usu constructionum et varietate sermonis et delectu verborum „lineamenta quaedam et vestigia adparere eiusdem viri et vultus“ et quidem tam multa ut vix de eodem scriptore dubitari liceat. Sed redeamus ad ea quae nobis proposita sunt demonstranda.

Ac primum quidem permulti homines litterati statuerunt, Tacitum non potuisse uti eo genere scribendi, quod in dialogo reperitur, a sua arte et oratione tantopere alieno. Quibus rebus id nobis comprobant?

Vereor enim ne nunc quisquam solis doctissimorum nominibus obtemperare velit.

Dialogus, inquiunt, eminet periodis ad morem Ciceronis conformatis; non nego, at in Annalibus quoque et Historiis eminent periodi passim longae et nervosae: qua re convincitur, hunc scriptorem, si voluisset, Ciceronianam et Livianam ubertatem et copiam sermonis induere potuisse. Quis enim, ut Langei verbis utar, neget Tacitum laudatissimum *oratorem, Facetiarum* scriptorem fusa, soluta et aequabili oratione, lepida quoque, quando vellet, uti potuisse? Quis credat Tacito summo sermonis artifici facultatem flumenque orationis defuisse? Ut admirere nostrum scriptorem ex uno exemplo, legas quaeso pulcherrimum et uberrimum caput Hist. 2, 37. Praeterea nemo sibi persuadebit Tacitum eodem illo novo dicendi genere et brevitate affectata vel in sermone quotidiano usum esse vel apud iudices oravisse. Scriptorem autem vel mediocri ingenio praeditum orationi suae alienas proprietates induere posse, praesertim quum propositum aliquod hac via consequi velit, et per se credibile est et usu satis probatum.

Nonne Lipsius suo ipse exemplo probat, unum eundemque diversa posse uti oratione et in utroque genere excellere, qui, quum Jenae esset, Ciceronem, ut ipsius epistolae docent, imitaretur, postea Taciti duram brevemque formam scribendo exprimeret? Et ipsius Ciceronis imitationem non ita esse difficilem, demonstrant infinita Ciceronianorum volumina. Ciceronem autem ceterosque praestantissimos scriptores et cognovisse et aemulari eo tempore non minus gloriae ducebatur, quam nostra aetate si quis aut Lessingii perspicuitatem aut Goethei simplicitatem aut Schilleri copiam et altitudinem aemulatur.

Hanc si teneamus imitationem, minime quod vocabula „autem, itaque, praesertim, fere, propter“ Tacito inusitata inveniuntur aegre feremus.

Natura et simplicitas dialogi poscit, ut familiaris etiam et quotidiani sermonis locutiones interdum admittantur: ut c. 35 „per fidem“. In uno dialogo undecies, in Tacito legitur octies „hercule“ interiectio: quae quidem in historiis optimo iure rarius usurpatur: disputationibus et orationibus impetu quodam et studio agendis accommodatum est: res gestas scribentis ingenio non item: at saepissime ad orationis ardorem significandum eadem in Ciceronis epistulis et dialogis invenitur.

Neque „ecce“ (3), neque „id est“ (3. 9), quo cum inrisione quadam aliquid explicatur, apud Tacitum reperies; quid refert? sexcenties apud Ciceronem aliosque habes, et quod maximum est, ad adfectus mirantis et lepide adversarium perstringentis designandos sunt peridonea.

Pronomen „ipse“ incredibiliter in dialogo frequentatur. Si vero naturam materiamque illius disputationis per contraria euntis, vetera ac recentiora comparantis recte aestimaveris, crebrior pronominis usus facile excusabitur.

Permulta *oratoriae* dictiones apud historicum Tacitum frustra quaeres: non miror: permulta a Cicerone sumpta, perpauca apud Tacitum obvia, multa Quintiliano usitata, nonnulla e genio scriptoris ipsius petita. Neque offendi decet vocabulis res communis vitae significantibus et apud Suetonium, Plinium, alios obviis.

At non solum a Tacito potuisse scribi dialogum, sed et scriptum esse veri simillimum videri, cum optimis nostri temporis existimatoribus et interpretibus Taciti adfirmamus.

Primus, qui dialogum et ad novam aetatem novamque scribendi rationem atque voluntatem et ad vitam studiaque Taciti accuratius retulit, erat, quantum scio, Car. Nipperdeyus, quem Frid. Haaseus secutus est.

Dicturus sum de Quintilianeo sermonis saeculo et rhetoricis Taciti studiis. Dialogus non fingitur modo habitus esse sub Vespasiani imperio, sed ipsa orationis indoles hanc epocham Flavianam reddit. Tacitum regnantibus Flaviis primos honores capessivisse ipsius testimoniis novimus. Haec autem Flaviana aetas insignis erat mutatione quadam animorum et studiorum, flagrabat enim certamen quoddam vitae ad simplicitatem priscam, eloquentiae ad priscam sermonis integritatem revocandae. Haec animorum mutatio testibus Tacito et dialogo ad Vespasianum referenda est tanquam ad auctorem et exemplum; studiorum in melius mutatorum auctorem et rectorem Fabium Quintilianum exstitisse inter omnes constat.

Is amoenum (cfr. Ann. 13, 3) quidem eius temporis et ingeniosum, sed prae antiquo more corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus ad severiora iudicia revocare contendit quumque ea aetate solus fere in manibus adulescentium esset Seneca, magnopere studuit, ut ad Ciceronem et veteres scriptores ingenia reduceret.

Ad Quintilianum autem dialogus non solum dictionibus quibusdam similibus respicit et consensu quarundam sententiarum, sed etiam iudiciorum diversitate, ut de operibus intra nemora ac silvas meditandis (Dial. 11. Quint. 10, 3) et de Epicuri honestis exclamationibus (Dial. 31. Quint. 12, 2) aliisque, quae congessit Eckst. Proleg. p. 56.

Hunc litterarum principem qui Ciceronem omnibus cumulat laudibus suique temporis hominibus commendat et eloquentiam efflorescere posse suo, ut Ciceronis tempore, arbitratur, dummodo philosophorum haustus bibat, secutus est Plinius Secundus, ut ex eiusdem epistulis ipsiusque verbis iure colligitur. (Ep. 1, 5, 12 est mihi cum Cicerone aemulatio nec sum contentus eloquentia saeculi nostri: nam stultissimum credo ad imitandum non optima quaeque proponere. cf. 7, 4, 4; 5, 3, 5 sq. 1, 20, 7 sq.); hunc etiam Tacitum oratorem secutum esse, ex ipsa quae ei cum Plinio priore tempore intercesserat studiorum similitudine veri simillimum est.

Illa quae Quintiliani auctoritate orta est antiquitatis imitatio ad laetissima quaeque antiquorum pertinuit. Nam neque Quintilianus neque Plinius neque Tacitus tanto antiquitatis studio et amore occaecati erant, ut suum quoque saeculum multa florere laude eos effugerit. (Cfr. Haasei Proleg. p. 17.)

De se ipse confitetur Plinius Ep. 6, 21.: „Sum ex eis qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: neque enim quasi lassa et effeta natura, ut nihil iam laudabile pariat.“

Plinium et Tacitum non modo amicitiae necessitudine sed communi etiam studiorum vinculo constrictos fuisse, Plinianae epistulae sunt testimonio.

Similem studiorum rationem indicat Ep. 7, 20, quum si quis de studiis sermo erat, teste Plinio, una nominarentur. Et ipse Tacitus Plinio (Ep. 9, 23) festivam hac de re narratiunculam tradidit: „se nuper sedisse Circensibus proximum equiti Romano: hunc post varios eruditosque sermones requisisse, Italicus es an provincialis? se respondisse, nosti me et quidem ex studiis; ad hoc illum: Tacitus es an Plinius?“ Cui narrationi Plinius verba addidit: „Exprimere non possum quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra quasi litterarum propria, non hominum, litteris traduntur, quod uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus alter ignotus est.“

Imprimis gravis et ad quam animum attendamus digna est Plinii Epistula 7, 20: „Erit rarum et insigne, duos homines aetate, dignitate propemodum aequales, nonnullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere quia de me simul dico) alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus quum iam tu *fama gloriaque floreres,* te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi — *ita similitudo naturae ferebat — maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris.*“

Quomodo potuit Plinius opinari, sibi cum Tacito naturae intercedere similitudinem sibique Tacitum et imitabilem et imitandum videri, nisi per omnes illos annos, quibus causidici boni et facundi gloriam agendis causis sibi quaesivit, eo dicendi genere usus est, quod propius ad Ciceronis aliorumque veterum oratorum exemplum accesserit. Quum enim studia Plinii et Taciti „eadem fama“ laudarentur, illo tempore proprium quem omnes mirantur stilum Taciti iam fuisse, credere prorsus vetamur.

Non potest in dubium vocari, quin Tacitus iam ante historias conscriptas libros ad artem oratoriam pertinentes aut orationes in vulgus ediderit.

Nam ut praeteream librum Facetiarum, quo qui facetiarum possit in causis orandis esse usus, inquisisse eum cum Haaseo arbitror, cum eodem viro doctissimo ea quae invicem sibi mittebant, ut quae commutanda, quae eximenda putarent, libere notarent (Ep. 7, 20, 8, 7) et quae saepe indicantur studia aut orationes fuisse aut libellos qui ad artem oratoriam pertinerent, pro certissimo habeo: nam eum libenter his de oratoria arte quaestionibus operam navasse intellegi potest Epp. 1, 20, qua Plinius eum consulit, num probet brevitatem in causis agendis an dicendi copiam et largam quam Plinius laudat orationem eique si Plinii sententiae accederet brevis epistulae necessitatem, si dissentiret, longissimae imposuit.

Hunc nimirum ipsa natura non minus facundum quam antiquorum artibus subnixum oratorem sectabatur iuventus et ut Plinii (Ep. 3, 14) verbis utar, „copia studiosorum ad eum ex admiratione ingenii eius convenit.“

Dialogus imitatione Ciceronis et recentis stili forma mixtus ac bene compositus est: sub Ciceroniana tamen specie latet ingenium Tacitinum. Licet scriptor Ciceronem tamquam exemplar incorruptae eloquentiae in tota conformatione sermonis ad imitandum sibi proposuerit huiusque ubertatem ac proprietatem retulerit, multa tamen immiscuit quae aetas argentea et Flaviana novaverat et ipse subtiliter excogitaverat et ingeniose: quae quidem novae et insolitae dictiones variandique studium, tantum abest, ut a Taciti ingenio abhorreant, ut quasi digitis eum demonstrare videantur.

Dialogus sane si comparatur cum Cicerone, nervosior, vividior, adstrictior illo: si cum Tacito, fusior hoc videtur et aequabilior. Plinianum scribendi genus prae flumine et vigore dialogi valde exile et gracile est. Si cum Quintiliano [1]) conferas, dialogi genus scribendi et laetius et audacius et numerosius et elatius adparet.

Si orationes illas scriptis Taciti historicis insertas quas enumeraverit Ecksteinius p. 72 in comparationem adduxeris (nam Annalium singularem ac nervosam et admirabilem verborumque parcissimam formam cum dialogo prorsus comparari non posse facile concedo), quas quidem Tacitus non eodem, quo historiam conscripsit, genere orationis conformavit, invenies sermonem quidem magis ad Ciceronianum exemplar accommodatum ita tamen, ut passim nervosum et adstrictum oppositisque validum ipsius proprium stilum admiscuerit. Dialogi simplicius quoddam et remissius simulque largius ac plenius est genus scribendi quam illarum orationum. Quarum ad similitudinem oratio Materni propius quam Apri accedit: minutiora enunciata, insolentior dictio, frequentior ellipsium, antithesium usus: et in ipsorum verborum splendido numero poeta deprehenditur. In Tacito quoque nonnunquam mira concinnitas, ut in Apri et Messalae orationibus, atque, ut in Materni, poetarum numerus est. Ita Germ. 39 nominat silvam

auguriis patrum et prisca formidine sacram.

Annales exorsus est hexametro

Urbem Romam a principio reges habuere.

Et pugnam numero poetico descripsit

A. 15, 9 subiectis campis magna specie volitabant.

A. 12, 39 pugna dein nobis pro meliore fuit.

Quae quum ita sint, quamvis in dialogo quidem inter imitationem summi Ciceronis et Tacito innatam atque insitam cogitandi et loquendi rationem veluti pugnam ac concertationem cum Orellio adgnoscamus, nullam tamen video causam, cur hunc dialogum Tacito, cui codicum manu scriptorum auctoritas attribuit, abiudicandum esse concedamus.

Immo potius magnopere gaudendum laudique ducendum esse reor, Tacitum eo excelluisse ingenio, ut diverso dicendi genere summa artis peritia pariter usus fuerit, ut utrumque quamvis arte quaesitum ex indole profectum videri possit. Nam recte Haaseus contra Lipsium docuit, in illa mutatione Tacitum non prorsus a sese abiisse, quum quamvis diversa sint illa dicendi genera, hoc tamen commune habeant, quod et suae utrumque materiae aptissimum sit et quod utrumque saeculi ingenio contrarium ab arte magis et ratione Taciti profectum sit quam consensu aequalium commendatum.

Eidemque viro docto adsentiendum esse statuo, dialogum tum a Tacito esse scriptum quum ad summam artis maturitatem pervenisset: adeo illum simul et insigni iudicii prudentia et oratoris exercitati peritia et summa dicendi arte, denique in omnibus rebus admirabili ingenii praestantia splendere: fructum hunc eumque pulcherrimum ac fortasse ultimum videri fuisse totius vitae prioris studiorum, quae ei usque ad aetatis annum quadragesimum fere cum Plinio communia fuissent.

Dialogus igitur est quasi libellus quo Tacitus, velut alter Maternus [2]), forum valere iubet et, ut cum Rothio loquar, quasi programma quoddam historiarum.

---

[1]) Maxime cavendum est, ne primo sensu, quo in legendo aliquo libro commoveamur, ducti erroribus decipiamur: quod ipsi Lipsio accidisse videmus, qui stilum dialogi Quintiliano *plane geminum* esse iudicaverit: et, — quid mirum? nam semper sine ullo negotio, saepe non sine periculo iudicia principum in litteris virorum sequaris — omnes fere editores ex illo tempore usque ad finem proximi saeculi, si unum Pithoeum, qui primus libellum de or. seorsim edidit, exceperis, adeo non esse ovum ovo tam simile, quam dialogus scribendi genus Institutionum Oratoriarum referat, adfirmavere. Quis vero nunc invenietur, quin post Spaldingii et Bonnelli curas hac in re stet adversus Lipsium?

[2]) Valde gaudeo hac in re Widalium, qui in disputatione quam supra commemoravi Romanarum et Franco-Gallicarum decursum litterarum contendit, mecum consentire. Haec enim sunt p. 46 verba huius docti viri: »Longam illam argumentationem claudit c. 41 Maternus, *altera ipsius Taciti persona*, qui quasi publicae apud Romanos eloquentiae

Neque enim ut Quintilianus, cuius librum de causis corruptae eloquentiae[1]) et iniuria fortunae et incuria librorum abstulerunt, ut rhetor qui foedis adulationibus Domitianum ut summum et oratorem et poetam et ducem et praesens ipsum numen extulit, sed ut bonus civis et magni ingenuique animi homo quaestionem tractavit et, quum Aprum et Maternum disputantes induceret, famam causidici anxiam et tranquillitatem hominis litterati libere in recessu philosophantis contendit et differentiam recentioris et prioris eloquentiae explicavit ita, ut antiquae libertatis et eloquentiae et prisci moris non immemor, quum in causis corruptae eloquentiae ipsam eversam rempublicam et corruptos mores esse demonstraret, sui saeculi servitutem et infamiam insigniret. Materni sententiam sine dubio comprobavit scriptor, nisi in liberis civitatibus eloquentiam magnam esse non posse neque quod tum superesset forum claro ingenio aptum et plenum honoris campum aut causidici munus adsiduo ac praecipuo studio esse dignum. Huc accedit, quod mirum quantum in dialogo et in Tacito sententiae de natura moribusque hominum, de virtutum et vitiorum origine et vi, de antiquorum studiis et laudibus et sui saeculi desidia et infirmitate, quantum iudicia de antiquis oratoribus virisque in republica Romana eximiis conspirant [2]): quem et in rebus et in hominibus consensum breviter hic percenseamus; comparanda sunt cum dial. cap.

18. 37. 40 de natura humana Ag. 3. 4. 42. H. 4, 74. H. 2. 20; 1, 55.
12 de aurei saeculi innocentia et de legum eloquentiaeque origine A. 3, 25—27.
37 de vi ingenii cum magnitudine rerum crescente A. 3, 69 m.
10. 36 de fama ingeniorum incitamento Ag. 9. H. 4, 6. A. 11, 6; 14, 21.
37 de fama periculis aucta A. 12, 26 f.
34 de sapientia alienis experimentis comparata Ag. 19. A. 4, 33 m.
5 de societate culpae patrocinante H. 2, 52 f.; 4, 41.
37 de cupiditate securitatis et otii Ag. 6. 42. A. 1, 2. A. 12, 11 f. H. 4, 48 f.; 74 f.
13 de beneficiis praestandis A. 4, 18 f.; 15, 21 m.
28 de oblivione moris antiqui A. 3, 34. 53. 54; 14, 43; 6, 12. 22; 16, 5. H. 1, 14; 2, 64 f.
28 de bonis moribus et de prava puerorum educatione G. 18. 19. 20. Ag. 4.
40 de Lacedaemoniorum et Cretensium legibus A. 2, 26.
5. 14. 7 de orbis et testamentis et de divitiarum cupidine A. 13, 42. H. 1, 73. A. 3, 25.
13 de testamentis et principum avaritia Ag. 43 f. G. 20. A. 6, 29; 16, 11. 27.
29 de theatri licentia et lascivia fautorum A. 13, 25. 28; 11, 13; 1, 77. 76; 1, 16; de equorum certaminibus A. 14, 21; de gladiatorum ferarumque spectaculis H. 2, 94 f. A. 1, 76.
27. 28. 1. 41 de libertatis et eloquentiae cum artibus et ingeniis imminutione H. 1, 1. A. 1, 74; 14, 47.
38 de pace et de principe, quibus ingenia cessere H. 1, 1. A. 1, 29 f. 10 m.; 3, 28 m.
41 de uno et sapientissimo civitatis moderatore A. 1, 14; 4, 33.
41 de libertate et principatu Ag. 3. H. 1, 16 (A. 2, 82). Ag. 42.
8. 9 de amicis ministrisque principum A. 14, 53; 3, 30 f. H. 3, 37.
7. 13 de libertorum potentia H. 1, 7; 2, 92 f. A. 12, 60 f. A. 14, 39 m. H. 3, 47; 1, 58; 5, 9.
41 de bono sui saeculi A. 3, 55. A. 3, 44. H. 1, 1 f.; 4, 8.
15. 18 de saeculo suorum incurioso Ag. 1. A. 2, 83 f.
41 de laudibus Vespasiani civiumque obsequio in principem H. 1, 50 f.; 2, 5. A. 13, 16. A. 3, 65 f.; 6, 8 m.
7 de novis hominibus ex provinciis A. 3, 55; 14, 53 f.; 11, 23.
3. 31 de libertatis et honestatis studio A. 16, 16. H. 1, 15. G. 20.
32 de philosophiae studiis Ag. 4 f. H. 4, 5. Ag. 44 m. A. 15, 45; 16, 19.
12. 14 de origine ac potentia delatorum, accusatorum A. 1, 74; 3, 56. H. 1, 2 f.; 4, 44.

---

funebrem laudationem incipit, dum omnia olim ad eam alendam augendamque, nunc omnia ad imminuendam frangendamque conspirare adseverat.«

[1]) Cfr. Libellus E. Bonnelli de causis corruptae sub primis Caesaribus eloquentiae, et Wittichi dissert. de rhetoribus latinis eorumque scholis. Isenaci, 1853.

[2]) Neque Langeus hoc argumentum neglexit, et ipse Ecksteinius adfirmat et eundem honestatis sensum eandemque bonorum malorumque morum reputationem adparere in dialogo, quam scripta Tacitina ostendant (p. 69), et Tacitum prae multis maxime idoneum fuisse qui de eloquentia iudicium tulerit (p. 70) et mirum in modum iudiciorum de oratoribus deprehendi consensum (p. 73).

41. 13 de recentioris fori tabe et lucrosa et sanguinante eloquentia A. 11, 5. 6; 16, 26. H. 4, 41. 42.
5 de sacrosancta oratoris, accusatoris potestate A. 4, 36.
13 de anxia oratorum vita H. 4, 8. A. 6, 48.
32 de eloquentiae dignitate et sordidis ministeriis A. 11, 6.
36 de testimoniis in foro dicendis A. 2, 34.
7. 8. 13 de Marcello et Crispo delatorum exemplaribus H. 4, 42 et principibus in Caesaris amicitia H. 2, 84.
5 de altercationibus et orationibus Marcelli et Helvidii H. 4, 5. 6. 7; 4, 43.
5 de Marcelli acri et minaci eloquentia A. 16, 22 f.; 29. H. 2, 53; 2, 95 f.
8 de potentia Vibii Crispi H. 2, 10. A. 14, 28.
11 de Vatinio A. 15, 34. H. 1, 37 f.
37 de Muciano H. 2, 5. 76.
15 de Vipstani Messalae eloquentia et virtute eiusque de fratre Aquilio Regulo H. 4, 42; 3, 9.
13 de Pomponio Secundo A. 5, 8; 11, 13; 12, 28.
19. 26 de Cassio Severo A. 1, 72; 4, 21.
13 de Domitio Afro A. 4, 42.
26 de Gallione Senecae fratre A. 15, 75.
26 de Maecenate A. 15, 53 m. A. 1, 14.
24 de fama gloriaque veterum oratorum Asinii (Pollionis) et Messalae (Corvini) A. 11, 6 f.; 13, 34; 3, 34; 4, 34; aliorumque de incorrupta eloquentia A. 11, 6; 13, 42[1]).
25 de Bruto oratore A. 4, 35.
21 de Caesare summo oratore A. 13, 3; 4, 34.
17 de Caesaris in Britanniam expeditione Ag. 13.
37 de Pompeio morum censore A. 3, 27.
36 de nomine populari A. 3, 53; 15, 21.
36 de fatis discordantis Romae A. 1, 14; 4, 6. 33. H. 2, 38.
40. 37 de Gracchis aliisque turbatoribus plebis A. 3, 27. H. 2, 38.
1. 25. 41 de antiquitatis laudibus A. 4, 33; 3, 55 f.; 15, 13; 1, 1. H. 1, 1.
14 f. 23 f. de fama apud posteros cfr. peroratio Cremutii Cordi A. 4, 35 m.
41 de modo libertatis cfr. peroratio Cerealis H. 4, 74. A. 4, 20. H. 4, 8 m.

Fortasse etiam cap. 17 verbis „illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum“ voluntas quaedam et studium historias eius temporis mox conscripturi designatur.

Sed haec hactenus.

Ea erat illorum temporum condicio, ut magnitudo non solum viri (Ag. 17) sed etiam ducis (Ag. 39. A. 11, 20) ne voto quidem expetenda inter inlicita et periculosa haberetur et tantum civilium artium decus relinqueretur, et ne id quidem sine periculis. Quam dubia et incerta privatorum hominum salus atque incolumitas, quam anceps et deminuta oratorum gloria, quam perniciosa virtutis et famae aemulatio foret, Tacitus saeviente Domitiano et saeculo eius languido neque fertili virtutum neque patiente satis cognoverat et maesto animo imminentem a Germanis exitium patriae (G. 33. H. 1, 3) prospexerat. His cogitatis et perpensis a labore forensi se deiunxit ut remotus a sordibus ac lacrimis reorum et vilibus litigatoribus et causidicis aut praemiorum hiatu et sanguinis libidine insignibus aut ipso quotidiano sermone foedis vitiis mixto apud iudices fabulantibus in secreto recessu ac solitudine eloquentiam foveret sanctiorem et augustiorem, ut historias Romanas conderet quas immortales futuras esse recte auguratur Plinius. Etiam exstincto Domitiano bis tantum videtur publico oratoris munere functus esse. Ac primum quidem laudationem habuit consulis in cuius locum ipse suffectus est

[1]) Praeterea habemus iudicia Taciti de eloquentia Caesaris, Augusti, Tiberii, Gaii, Claudii, Neronis A. 13, 3; de Tiberii oratione quam de Maroboduo scripsit A. 2, 68 m. eiusdem quam de Germanico habuit A. 3, 12; de Q. Hortensio A. 2, 37; de Mamerco Scauro A. 3, 31 f. 6, 29; de P. Vitellio A. 3, 13; de L. Arruntio et Aesernino Marcello A. 11, 6 f.; A. 3, 11; de Q. Haterio A. 4, 65; de Trione Fulcinio A. 5, 11; de Passieno A. 6, 20; de M. Vinicio A. 6, 15; de Laelio Balbo A. 6, 48 f.; de Cluvio Rufo H. 4, 43; de Curtio Montano et Aq. Regulo H. 4, 42; de Senecae Annaei orationibus A. 14, 52 f.; A. 13, 3. 11; 14, 11; de Galerio Trachalo H. 1, 90 et imperatore Vitellio H. 2, 90 et de Galbae et Pisonis eloquentia H. 1, 19; de legum peritis Cocceio Nerva A. 4, 58; de Capitone Ateio et Labeone Antistio A. 3, 75.

Verginii Rufi qui collega Nervae erat anno 97 p. Ch. mortui, et ita quidem ut teste Plinio (Ep. 2, 1) „hic supremus felicitati eius cumulus accesserit, laudator eloquentissimus", deinde Asiae provincialibus, accusato Mario Prisco, adesse iussus, anno 100 p. Ch., praesente Caesare „Salvio Liberali, viro subtili, disposito, acri, diserto, qui in illa causa omnes artes suas protulit", respondit, eodem Plinio teste (E. 2, 11) „eloquentissime et quod eximium eius orationi inest σεμνῶς." Neque credibile est, eum etiam reddita senatui libertate et securiore temporum felicitate ad studium causarum agendarum revocatum esse, sed videtur ad litteras tantum animum adpulisse et ad conscribendas historias, quibus principatum Romanum in dies ingravescentem, infinitam militum potentiam et cultum deorum principali libidine ac mendacio foedatum, insidias erga eminentes virtutes et mentes tyrannorum atque ingenia, corruptiores in dies mores et praemia scelerum et flagitiorum, ingentes locupletium opes et totius Italiae inopiam, rerum conversiones et ludibria fortunae, vitia infirmitatis humanae et egregiarum animarum studia ac mores clarosque exitus, monumentum aere perennius, posteris tradidit.

Quum igitur Taciti donec causidici vitam agebat orationem similiorem fuisse Ciceronis, et magnam ac mirabilem ingenii conspirationem inter dialogum et ea scripta, quae sine ulla dubitatione Taciti esse et habentur et dicuntur, intercedere, et hoc de oratoribus dialogo vitae prius Taciti genus quasi pulchro fine terminari viderimus: iam reliquum est, ut ex eodem illo dicendi genere Tacitum posse adgnosci probemus et quod supra hac de re promisimus, nunc praestemus. Ac profecto ego quidem arbitror nihil obstare, quominus Taciti librum esse dialogum prorsus adducamur, quoniam si diligentius inquisiveris maior et in arte et in sermone consensus deprehenditur, quam quem adhuc viri docti statuerint.

Ut hoc perspicue cognoscatur materiam, quam *Index* continet, in tres partes distribui:
rhetoricam, grammaticam, lexicologicam.

Quarum in quaque parte quidquid commune vel simile esse vidi in dialogo et in scriptis Tacitinis, ita congessi ut quum Taciti ars et sermo multis exemplis monstretur tum eiusdem dialogum esse videri vel ipso conspectu efficiatur.

Primae partis initium faciunt *synonyma*, quippe quorum copia obruti multi homines litterati dialogum a Tacito scriptum esse posse negaverunt: quorum quidem Gutmannus fatali errore correptus eadem illa synonyma vituperavit, quae ita iuncta apud Tacitum ipsum leguntur; rectius Schelius et Schulzius viderunt, qui Tacitum solere bina eiusdem aut non multum differentis significationis exempla coniungere animadverterunt. De synonymorum vi et usu non est quod hic uberius dicam, quum nostra aetate Car. Lud. Rothius[1]) libello peculiari et Mauritius Seyffertus in ed. Cic. Lael. (p. 486. 502. 529. 542) et Car. Frid. Naegelsbachius in libro Germanico (p. 196. 221), cui Stilisticorum inscriptionem fecit, accuratissime disputaverint.

Quamquam Quintilianus synonyma fere vitavit, eam vocabulorum coniunctionem habuisse aliquid gratius et significantius apud eius aetatis homines (mirabilis est enim iudicii et sermonis temporibus variis varietas) manifeste efficitur ex Plinii epistulis, qui quidem mire delectatur synonymis copulatis, quibus eiusdem Panegyricus in honorem Traiani habitus plane redundat. Huic iudicio et voluntati obtemperavit etiam Tacitus. Cuius in Agricola et Germania et Historiis plurima sunt adiectiva et substantiva, multa, imprimis in Agricola et Germania adiectiva, perpauca verba synonyma. In Historiis et Annalibus multis synonymis quae in Agricola et Germania reperiuntur aut prorsus abstinet (synonyma „nemora et luci" [Vergil.] praeter dialogum ter in Germania, „dissensiones ac discordiae" [Cic.] praeter dialogum semel in Agricola leguntur) aut alterutrum verbum validiore synonymo mutat aut, maxime in Annalibus, uno tantum vocabulo contentus est. Saepissime utitur Tacitus synonymis neglecto, maxime quidem in oppositis, discrimine ad variandam orationem (A. 3, 61 lucum — nemus. A. 15, 41 templorum numerum — fanum — aedes — delubrum. H. 1, 1 ambitionem — adulationem; obtrectatio et livor — malignitati) et permultis locis nihil nisi ubertatem et gratam sermonis amplificationem spectasse videtur. In Annalibus vero premit plerumque quum synonyma copulantur vim proprietatemque utriusque verbi (A. 3, 9 convivium et epulae i. e. convivae).

Ex accurata inquisitione omnium dialogi synonymorum (quibus etiam per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta adieci, qua de figura rectissime docuit Seyffertus ad Cic. Lael. p. 31. 191. 198) hoc elucet:

---

[1]) Roth, C. Corn. Taciti synonyma et per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta. Noribergae 1826. — Seyffert, Ciceronis Laelius. Mit einem Commentar zum Privatgebrauche für reifere Gymnasialschüler und angehende Philologen. Brandenb. 1844. — Nägelsbach, Lateinische Stylistik für Deutsche. 2. A. Nürnb. 1852.

Maximam quidem partem ex scriptis Ciceronis esse repetendam, magnam in ipsius Taciti libris iuveniri, modicam apud Plinium Secundum (cognomen brevitatis causa in conspectu verborum semper omisi) aut apud Suetonium et Plinium maiorem reperiri: Ciceronis autem synonyma partim ad verbum repetita, partim transpositione aut aliqua transformatione esse mutata, et id quidem more Tacitino. (Cic. periculum discrimenque H. 2, 77 discrimen ac pericula. Cic. probrum atque dedecus, ignominia atque dedecus H. 4, 72 pudor ac d. H. 1, 30 rubor ac d. H. 4, 62 rubor et infamia A. 3, 52 ignominiam et infamiam.)

Propria autem dialogi videntur esse:

33. adversarii et aemuli, 11. notitiae ac nominis, 2. institutione et litteris, 14. eruditionis ac litterarum, 33. vestigia et lineamenta, 36. perturbatione ac licentia, 39. cura et anxietas stili; 4. frequens et adsidua, 5. reo et periclitanti, 13. inquieta et anxia, 20. pulcher et ornatus, 22. expolitus et splendens, 22. tarda et inerti, 36. conspicuum et eminentem; 8. accumulare et congerere, 9. excudit et elucubravit, 18. fortius et audentius dicere, 21. sublimius et cultius d., 25. invidere et livere, 36. composita et quieta republica, 38. turbidis et inquietis temporibus.

Addidi *adlitterationis* exempla, quam saepenumero in synonymis et in oppositis usurpatam invenimus et in Tacito et in dialogo: diversa adlitterationis genera adhibere Tacitum iam Pabstius rectissime adnotavit, Proleg. p. 16. Constat latissime patere usum adlitterationis apud Romanos, non solum apud poetas (quorum exempla, ac praecipue Plautina, congessit Naekius in Museo Rhenano 1829) sed etiam apud scriptores. Confer dissertationem quam nuper „de adnominationis et adlitterationis apud Ciceronem usu" Iulius Theobaldus (Bonnae 1852) scripsit. Cicero hac quoque ratione in vocabulis venustissime lusit:

d. Or. 1, 1, 2 maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates.

Milon. 11, 30 vi victa vis vel potius oppressa virtute audacia est. 25, 67 in hoc vis — et non unius viri vires; et cum *anaphora* 26, 29 erit, erit illud profecto tempus et illucescit ille aliquando dies. Cfr. Cic. Lael. ed. Seyff. 358.

Anaphora et in Tacito et in dialogo plerumque geminationis forma exprimitur: raro vocabulum aliquod ter quaterve repetitur.

Durae compositionis et soni aliquo modo iterati et complosionis syllabarum exempla conlegi, ut Gutmanno satisfacerem et Ernestio ad Germ. 40 f. adnotanti: „auribus meis durius est." At saepe, quod Germanorum auribus displicet, placet idem aliis nationibus et vicissim.

Sed quid moror in his rebus, quae per se intelleguntur.

Concinnitatem membrorum in Tacito saepissime *variata oratione* intermissam esse, res est pervulgata.

Ita variatur in dialogo quoque nomen gentis et terrae, singularis et pluralis, activum et passivum, gerundium et infinitivus.

Eodem refero quod *amplificationem membrorum* nominavi. Saepenumero quum bina aut trina vocabula iunguntur, Tacitus, sicut dialogus, alterum aut tertium membrum additamento aliquo longius efficit sive augendo rem explicat sive negando sive comparando.

Hanc varietatem in *conlocatione membrorum*, qui *chiasmus* vocatur, habet et dialogus et Tacitus.

In ea parte quae est de *conlocatione verborum*, si mihi per temporis angustias licuisset, plura fortasse exempla me adlaturum fuisse opinor. Anastrophen quidem praepositionum (cfr. Boett. p. 119) apud Tacitum usitatam in familiari dialogi sermone nemo desiderabit: nonnulla, imprimis Adverbia et Coniunctiones postpositae (cfr. Index Latinitatis), mire cum Tacito consentiunt.

Gradationis exempla insunt etiam in ea particula quae amplificationem membrorum continet.

Immutatione illa, quam grammatici *metonymiam* vocant, frequenter utitur Tacitus eaque eligit vocabula in quibus vivida quaedam et audax imago inest, adeo ut eis quae non solum a scriptoribus, sed saepe etiam a poetis vulgari tantum sensu usurpantur, aut translate utatur, aut quodam modo novet. Qua de re Boetticher in Proleg. fusius disseruit.

Tacitus non modo poetarum colores orationi induit, sed etiam novis vocabulis sermonem Romanum ditavit. Eiusmodi in dialogo nova vocabula sunt scurrilitas, planitas, statio (Regierungsjahr), histrionalis, uniformis.

In dialogo peculiari modo iunguntur substantia facultatum, utilitates alere, negotium sibi importare, maturare festino; poeticae aut insolitae, sed in ipso Tacito obviae dictiones sunt: admissa, cura, discrimina, orbis, placita, proeliator, proceres, obsequium, rubor, suboles, livere, studium haurire, am-

plecti eloquentia provincias, nomen inserere famae, hanc illi famam circumdedit, natura ingenium denegavit, gratia subnixus, adfluens auditor al. Ut in dialogo sic in Tacito coniunguntur principem in civitate locum, infans delegatur ancillis, vis et ardor, nemora et luci, municipia et coloniae al.

Imprimis vocabula quae pertinent ad eloquentiam et artem splendidis et vividis imaginibus distinguuntur; ut 12. eloquentiae penetralia, 12. lucrosa et sanguinans eloquentia, 20. tristis et impexa antiquitas, 18. informes, 23. maesti oratores, 20. pulchritudo, 20. 21. laetitia, 21. tepor, lentitudo orationis, 21. hians compositio, 23. ieiunium, 26. calamistri Maecenatis — tinnitus Gallionis, 39. stili anxietas, 18. Brutum otiosum et diiunctum, 31. conlectum dicendi genus, 20. decor — Pacuvii veterno inquinatus — e Lucani sacrario prolatus, 21. sordes, 26. pudor verborum, 22. oblitterata et olentia verba, 31. honestae exclamationes, 19. odoratus philosophiam, 20. in incude studiorum, 2. ingenia fori, 25. cognationem iudicii — eloquentiae vultum, 19. eloquentiae itinera, cet.

Partes grammaticam et lexicologicam (quam secundum orationis quae vocantur partes ordinavi et composui comparatis integrae et argenteae aetatis scriptoribus) etiam me non explicante, unusquisque per se et intelleget et ad quaestionem quae est de scriptore dialogi apte adhibere sciet.

Id quoque propositi mei erat, ut libello meo Lexicon Taciteum Guil. Boetticheri (Berol. 1830) novis verbis aut aliis exemplis supplerem. Neque deerunt fortasse, qui ex labore meo aliquid fructus capiant. —

Iam emensi sumus campum nobis propositum. Valde sane lubrica res et perplexa. Quidquid virium et industriae in nobis erat, ad quaestionem, quae est de discrepantia sermonis, explicandam contulimus, ut ex dubitationum fluctibus ad portum inveheremur idque, quod Lipsius desideravit, praestaremus.

Omne punctum me esse laturum magis spero quam scio. Non ignoro claros etiam homines doctosque imprimis in diiudicando dicendi genere erroribus interdum obnoxios fuisse: quid? mene quotidie addiscentem ultra humanam infirmitatem positum esse credam? Utut est, num revera hac quam intravimus via id quo tetendimus simus adsecuti, aequi bonique iudices aestimabunt, apud quos facile veniam et indulgentiam spero me impetraturum, si qua in re verum parum attigi, quum hoc meo Indice, etiam si mea spes fefellerit, controversiam componi posse, id certe consecutus esse videar, ut nunc demum pro auctoritatibus et nominibus certo nixus fundamento suo quisque iudicio possit uti.

Vale lector!

Iudicio perpende et, si tibi vera videntur,
Dede manus aut, si falsum est, accingere contra.

INDEX COMPARATIVUS.

PARS RHETORICA.

SYNONYMA.

Cfr. Ecksteini Proleg. in dial. p. 80.

A. SUBSTANTIVA.

I.

Dial. 7. Advenae et peregrini. *Cic. pr. et adv.* Cfr. Forcellini et Nizolii lexica.

34. altercationes — et iurgiis. H. 4, 6 acre iurgium — paulatim per altercationes. H. 1, 64 iurgia — rixa. H. 2, 27 f. conrupta iurgiis aut rixis disciplina. *Sueton. a. et iurgia.*

29. ambitione — et inlecebris. H. 2, 64 f. fortunae inlecebris aut ambitu civitatis.

1. formam et animi et ingenii. 21 vis aut animi aut ingenii. *Cic. a. atque ingenii.*

33. arte et scientia. H. 2, 3 scientiam artemque haruspicum.

16. positio caeli siderumque. Ag. 12 infra caelum ac sidera.

9. carmina et versus. A. 16, 19 m. levia carmina et faciles versus. A. 15, 70 recordatus carmen a se compositum — versus ipsos rettulit. A. 2, 54 f. ignarus litterarum et carminum edit responsa versibus compositis.

39. clamore plausuque. H. 3, 83 clamore et plausu fovebat. *Cic. cl. et pl.; Quint. acclamatione — plausu, tumultu et clamore, cl. plaudentium.* cfr. Bonnelli lexicon Quintilianeum.

15. concentu (ex coni. Orellii, concentibus) et clamoribus. Ag. 33 cantu fremitu clamoribusque dissonis. G. 3 nec vocis quam virtutis concentus. A. 4, 25 concentu tubarum ac truci clamore. H. 5, 15 f. cantu aut clamore. A. 16, 4 f. certis modis plausuque composito — impari clamore.

36. consilio et auctoritate. G. 12 consilium simul et auctoritas. *Cic. c. atque a.*

39. cursus et spatia. *Plin. E. 4, 12 f. laudis meae spatio et cursu et peregrinatione laetetur.*

40. dissensionibus et discordiis. Ag. 32 dissensionibus ac discordiis (Codd. ΓΔ). *Cic. diss. atque disc.* cfr. Lael. ed. Seyffert p. 151. G. 37 discordiae nostrae et civilium armorum. H. 3, 57 civilibus discordiis. H. 2, 32 f. inter civiles discordias. H. 1, 46 ad seditiones et discordias. H. 1, 84 seditionem et discordiam. H. 2, 86 discordiis et seditionibus. H. 4, 1 turbas et discordias. A. 1, 19 seditionem et turbas. A. 6, 3 discordiam et seditionem. A. 6, 16 seditionum discordiarumque. A. 3, 48 pravitatis et discordiarum.

8. divitiae et opes. *Cic. d. et o.*

7. fama et laus. *Cic. f. et l.*

18. fama gloriaque. *Sall. Iug. 4 famam atque glor. Plin. P. 10 ingens gloria ingensque famaque. Pl. E. 7, 20 fama gloriaque. Pl. E. 6, 29 gl. et f.* H. 4, 6 adpetentior famae — cupido gloriae. H. 2, 37 gloriam nomenque. A. 1, 8 iactantia et gloria.

29. histrionalis favor et — studia. A. 1, 16 studio histrionali. *Pl. E. 9, 6 studium favorque.*

18. formas et genera dicendi. 19 formam et speciem orationis. *Cic. formam figuramque dicendi; genus dic.; f. et sp.*

12. aut gloria aut honor. 26. 41 laus et gloria. G. 5 suus honor aut gloria frontis. H. 4, 14 a laude gloriaque. *Cic. gl. et l. Pl. 3, 21 glor. et laus. Quint. l. et gl.*

28. gremio ac sinu matris. *Cic. s. ac g. m.*

12. habitu cultuque. A. 1, 10 habitu cultuque. A. 2, 59 cultu habituque.

8. imagines ac tituli et statuae. *Pl. P. 10, 3 titulis et imag. et statuis. Hor. S. 1, 6, 13 titulis et imag.*

7. iuvenes — quibus — recta indoles est et bona

spes sui. *Plin. E.* 6, 11 *audivi ex diverso agentes summae spei, summae indolis iuvenes duos.*

2. industriae ac laboris. *Cic. l. et i.*

14. ingenium ac studium. Ag. 3 ingenia studiaque. *Cic. ing. studiumque. Quint. st. ingeniumque.*

2. ingenio et vi naturae. 37 ingenio et eloquentia.

37. ingenio et oratione. *Cic. vis naturae atque ingenii. Quint. ing. et facundia.*

33. initia et semina. *Cic. i. et tanquam s.*

5. invidis et inimicis. *Cic. inim. atque inv.* A. 1, 55 gener invisus, inimici soceri.

36. invidia aut crimen. H. 3, 75 invidiam crimenque.

19. iure aut legibus. *Cic. iure civili et legibus.*

30. labor et — meditatio. 16 cura et meditatio. A. 4, 61 meditatio et labor; — impetu magis quam cura viguit (orator). A. 3, 12 f. eloquentia et cura. Ag. 10 in comparationem curae ingeniive.

12. in loca — sedibusque. H. 2, 12 loca sedesque patriae.

23. malignitas et invidia. *Cic. malevolentia et inv.*

1. memoria ac recordatione. *Cic. r. et m.; m. et r.* cfr. Lael. ed. Seyffert. 558.

5. metum et terrorem. Ag. 32 metus et terror. A. 13, 14 terrorem et minas.

26. modestia ac pudore. A. 3, 26 pro modestia ac pudore. *Cic. p. ac m.*

41. modus et temperamentum. H. 1, 83 postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis. *Cic. m. et temperantia. Liv. modestia et temperamentum. Hor. Sat.* 1, 1, 106 *est modus — sunt certi fines. Pl. E.* 7, 24 *omnia modo constant certoque temperamento.*

11. nemora — et luci et secretum ipsum. 9 in nemora et lucos. G. 9 f. lucos ac nemora — secretum illud. Ag. 31 f. longinquitas et secretum ipsum. G. 45 nemora lucosque — secretis A. 3, 61 lucum — nemus. G. 10 isdem nemoribus ac lucis. *Tacitus in Pl. E.* 9, 10 *inter nemora et lucos. Verg. Ecl.* 8, 86 *per nemora atque altos ~~sacros imitantia~~ lucos. Prop.* 4, 9, 24 *lucus ab umbroso fecerat orbe nemus. Cic. nemora et silvae. Ovid. nemus secretaque silva. Seneca Tragic. nemoris sacri lucos. Claudian. silvae silentia lucosque. Pomp. Mela* 3, 5 *(Hyperborei) habitant lucos silvasque; (Britannia) fert nemora saltusque. Curtius Ruf.* 7, 23 *f. nemora quoque lucosque sacros.* ex coni. Acidalii. cfr. Muetzell p. 672, Zumpt p. 320. *Pl. N. H.* 4, 26 *(Hyperboreis) domus iis nemora lucique.*

20. nitore et cultu descriptionum. 23 nitorem et cultum verborum. *Quint. nitor et c.; c. ac n.*

8. numen et caelestis vis. *Cic. c. v. et n.*

37. operae curaeque. *Cic. op. curaeque.*

10. opinio et fama. *Cic. f. et o.*

6. ingentium opum ac magnae potentiae. H. 4, 44 accusatorum ingenia et opes et potentia timebantur. H. 2, 10 Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos. *Cic. o. et pot.* cfr. Lael. ed. Seyffert 138.

40. in foro pax — in senatu concordia. H. 2, 20 f. pax et concordia. H. 3, 80 concordiam pacemque suaderent.

5. perfugio (al. praesidio) et tutelae. *Cic. t. et praes.* A. 3, 61 perfugium inviolabile. G. 45 pro armis omniumque tutela securum — praestat.

5. potentia ac potestate. *Pseudo-Cic. p. dom. potentia magistratuum — populi R. potestas.*

40. probitate et modestia. 29 neque probitate neque modestia. G. 36 modestia ac probitas.

38. longa — quies et continuum — otium et adsidua — tranquillitas. Ag. 6 f. 21 quieti et otio. Ag. 42 quietem et otium. A. 40 tranquillitatem atque otium. G. 40. H. 4, 1 f. pax et quies. G. 14. H. 2, 97 pace et otio. H. 2, 6 longa pace quietus. H. 2, 17 longa pax. A. 11, 24 m. tunc solida domi quies — continua inde ac fida pax.

10. robur et vires. H. 1, 87 m. vires et robur exercitus. H. 2, 11 m. plus virium ac roboris. Ag. 3 voti fiduciam ac robur. H. 1, 61 ingens viribus opibusque. H. 4, 86 opes viresque.

28. sanctitate ac verecundia. *Cic. pudor ac v.*

28. severitate ac disciplina. 29 severitate disciplinae. G. 25 disciplina et severitate. G. 32 equestris disciplinae arte. H. 1, 51 severitate disciplinae. A. 13, 2 severitate morum. A. 6, 15 severa patris disciplina eductus.

25. iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. *Cic. formam honestatis et s.; artis imago et cogn.*

12. inter sordes ac lacrimas. *Cic. iacere in lacrimis et sordibus; quotidianae l. sordesque lugubres.*

28. studia curasque. *Cic. st. c. que.*

13. sollicitudinibus et curis. *Cic., Plin. cura et sollicitudo.*

24. quo torrente, quo impetu. *Cic. fertur quasi torrens oratio. Plin.* 1, 16 *cum impetu quodam et flumine (al. fulmine) praevehuntur.*

22. usu et experimentis. *Cic. u. exercitatioque forensis.*

30. oratoris vis et facultas. *Cic. orat. v. et f.; Quint.*

19. vis ac potestas. H. 2, 39. H. 3, 11 f. vis ac potestas. G. 42 vis et potentia.

23. vim et ardorem. Ag. 8 vim ardoremque. H. 1, 62 m. ardor et vis militum.

37. viribus et armis. *Cic. vi et armis.* H. 2, 74 bellum armaque — et vires. H. 4, 23 vis et arma. H. 4, 68 vim atque arma. Ag. 30 proelium atque arma. Ag. 25. 33 manus et arma. Ag. 14 vi belloque. H. 2, 1 arma bellumque. H. 4, 52 bello et armis. H. 4, 76 ferrum et arma. H. 4, 58 proelium et acies. A. 2, 21 pugnae et armorum. G. 33 armis telisque. H. 3, 20 armis ac manu. H. 3, 53 manu et armis. Ag. 36 ad mucrones et manus. H. 3, 10 ad tela et manus. A. 13, 6 telis et manibus. Ag. 33 castris et armis. H. 2, 92 bello et castris. A. 14, 20 militia et armis.

6. voluptatem — cuius iucunditas. *Cic. voluptas quae cum iucunditate quadam percipitur sensibus.*

7. vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus. Ag. 43 vulgus quoque et hic aliud agens populus. H. 1, 8 vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus. H. 1, 35 non populus tantum et imperita plebs. H. 1, 36 m. tanquam in populo ac plebe. H. 1, 40 neque populi aut plebis ulla vox. A. 2, 41 f. favor vulgi — plebis studiis — populi R. amores. H. 1, 82 m. rarus per vias populus, maesta plebs.

II.

34. Adversarii et aemuli. 34 ex invidis et faventibus. H. 1, 44 ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque. H. 2, 21 invidia et aemulatione. A. 16, 22 fautorem aut adversarium.

36. procerum factiones et — senatus adversus plebem certamina. H. 2, 38 prima inter patres plebemque certamina. A. 4, 42 plebis et optimatium certamina. A. 1, 2 f. suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium. A. 4, 33 plebe — patres — senatus — et optimatium ingenia. A. 3, 10 studia populi et patrum. A. 4, 66 studia procerum et largitio principis.

39. cursus et spatia. G. 37 castra et spatia. Ag. 10 spatio ac caelo. H. 2, 37 spatium ac moras. A. 2, 82 tempore ac spatio. A. 6, 48 cunctationem et moras.

8. divitiae et opes. H. 4, 74 f. A. 11, 24 f. aurum et opes.

34. foro et eloquentia. Ag. 2 in comitio ac foro. A. 2, 34 f. in foro et iudicio. A. 4, 7 forum et ius.

28. gremio ac sinu matris. Ag. 4 in huius (matris) sinu indulgentiaque. A. 6, 45 f. in sinu avi perdicerat.

24. ingenio ac spiritu. 1 oratorum ingeniis gloriaque. *Quint. mentis ac spiritus in dicendo.* G. 29 mente animoque. A. 3, 55 laudis et artium.

19. iudicio et intellectu. 20 auribus et iudiciis. Ag. 43 honore iudicioque.

20. laetitiam et pulchritudinem orationis. 21 laetitiam nitoremque. Ag. 4 f. pulchritudinem ac speciem — gloriae. A. 3, 34 multa duritiae veterum in melius et laetius mutata. A. 4, 33 Punicas Romanasne acies laetius extuleris.

23. malignitas et invidia. 25 non malignitate nec invidia. *Pl. P.* 58 *livor et mal.* Ag. 41 f. malignitate et livore. H. 1, 1 obtrectatio et livor — malignitati. H. 1, 65 aemulatio et invidia. H. 2, 21. 101. 3, 65 invidia et aemulatione. H. 2, 97 odiorum invidiaeque. A. 3, 10 f. odium et invidiam.

10. quietis et securitatis. 11 statum ac securitatem. H. 1, 66 salutem incolumitatemque. H. 3, 53 salutem securitatemque. A. 3, 28 multorum excisi status (Vermögen).

33. initia et semina. *Quint. i: quaedam ac s.* A. 1, 41 semina — motus. A. 11, 9 sem. — rebellionis.

12. inter sordes et lacrimas. A. 6, 8 metu ac sordibus conflictabantur.

28. studia curasque — remissiones lususque. Ag. 3 tempora curarum remissionumque. *Cic. animi remissionem ludumque.*

22. visum et oculos. G. 33 oblectationi oculisque. *Lucret.* 5, 102 *oculorum visu.*

B. ADIECTIVA.

6. Accuratam meditatamque. *Cic. a. et m.*

37. altior et excelsior. Ag. 4 magnae excelsaeque gloriae. A. 3, 53 maius aliquid et excelsius. *Pl. E.* 9, 26 ***plerumque altis et excelsis adiacent abrupta.***

30. angustis et brevibus — terminis cluditur. G. 6 hasta — angusto et brevi ferro. *Pl. E.* 2, 7 ***vita brevis et a.*** *Pl. E.* 3, 7. 9, 2 ***tam angustis terminis concluditur; quam a. terminis claudamur.***

17. antiquos et veteres. *Pl. P.* 11, 4 ***illos veteres et antiquos aemularis.***

9. certam et solidam. *Cic.* ***solidam veramque laudem.***

37. claram et inlustrem orationem. *Pl. E.* 6, 29 ***causas cl. et inl.***

36. conspicuum et eminentem. H. 3, 17 insignis — conspicuus. H. 4, 42 m. inlustres — conspicuas.

12. fabulosa nimis et composita. Ag. 40 fictum ac compositum. A. 6, 24 meditatas compositasque. A. 6, 28 f. incerta et fabulosis aucta. A. 11, 27 fabulosum iri — sed nihil compositum — tradam.

22. firmus et duraturus. *Cic.* ***f. et stabilis.***

10. fortuitae et subitae dictionis. G. 11 nisi quid fortuitum et subitum. *Cic.* ***s. et f.***

18. horridi et impoliti et rudes et informes. Ag. 3 incondita ac rudi voce. A. 12, 35 m. rudes et informes saxorum compages. A. 4, 16 ex horrida illa antiquitate. H. 2, 11 f. horridus, incomptus. A. 15, 67 sensus incomptos et validos. H. 2, 80 m. satis decorus etiam Graeca facundia. A. 6, 15 comptae facundiae. H. 1, 19 comptior sermo. G. 14 f. incompti apparatus (epularum) A. 3, 2 incompta signa.

35. cogitans nihil humile vel abiectum. A. 13, 46 f. nisi abiectum et sordidum. *Cic.* ***nihil abiectum, nihil humile cogitare; Quint. Pl.***

16. inauditum et indefensum. H. 1, 6 m. inauditi et indefensi tamquam innocentes. H. 2, 10 m. indefensum et inauditum. A. 2, 77 m. inauditum et indefensum. H. 3, 71 f. indefensum et indireptum.

5. inexercitatam et rudem. *Cic.* ***r. et inex.***

19. imperitus et rudis. *Cic.* ***imp. et r.***

23. laetum et alacrem. *Cic. Quint. Pl.* ***a. et l.***

9. laudem inanem et infructuosam — clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. A. 3, 54 f. (offensiones) inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras. A. 3, 50 f. studia — inania et fluxa nec quidquam grave ac serium. A. 13, 19 instabile ac fluxum — fama potentiae. A. 3, 8 falsa et inania.

8. libero et ingenuo. *Cic.* ***ing. et lib.***

39. liberi et soluti. *Cic.* ***l. et s., s. ac l.***

32. magnas et graves causas. *Pl. E.* 5, 8 ***m. et g. c.***

19. miram et eximiam. *Cic.* ***singularis eximiaque virtus.***

36. mutum et elinguem. *Liv.* ***m. et e.***

6. novam et recentem curam. 8 novis et recentibus exemplis. H. 4, 65 m. nova et recentia iura. *Cic.* ***rec. et n.***

19. nova et incognita. 19 novis et exquisitis. A. 13, 35 quasi nova et mira. *Cic.* ***reconditae exquisitaeque sententiae; exquisitius et minime vulgare orationis genus.***

18. Gracchus plenior et uberior. *Cic.* ***Gr. pl. et u. ad***

dicendum A. 12, 60 plenius — et uberius. A. 3, 31 uberrimus — oratorum.

32. primam et praecipuam. *Quint. pr. ac praec.*

5. probi et modesti (Haase: moderati). *Cic. p. et modest.* H. 1, 87 f. bonos et modestos anteibat.

28. propriis ac vernaculis vitiis. 29 propria et peculiaria — vitia. A. 2, 43 f. ut proprium et sui sanguinis — fovebat. *Pl. N. H. vites peculiares atque vernaculae Italiae. Pl. P.* 7, 25 *Caesari proprium et peculiare. Sueton. quasi proprio suo et peculiari deo.*

12. pura et innocentia loca. *Cic. purus et integer. Hor. S.* 1, 6, 69 *p. et insons.*

36. pulchrum et gloriosum. 20 inlustre et dignum memoria. Ag. 33 pulchrum ac decorum. Ag. 34 pulchram et spectabilem victoriam. H. 1, 44 pulchrum et memorabile. A. 13, 31 pauca memoria digna. A. 3, 5 honora et magnifica. A. 1, 11 f. honora oratione. *Pl. P.* 56, 5 *pulchrum imperio, gloriosum tibi.*

20. rudi caemento et informibus tegulis. G. 45 (glesum) rude legitur, informe perfertur. A. 15, 22 ad informe aes liquefacta.

4. sanctiorem et augustiorem eloquentiam. *Cic. s. et a.* G. 34 sanctius ac reverentius. G. 20 sanctiorem arctioremque — nexum.

13. securum et quietum. *Liv. s. et q. Pl. P.* 40, 1 *securus quietusque.*

28. sincera et integra — natura. H. 4, 64 f. sincerus et integer — populus.

29. teneri et rudes. *Cic. t. et r.*

37. turbidis et inquietis temporibus, opp. 36 composita et quieta — republica. A. 3, 12 turbide et seditiose. H. 4, 68 f. turbidus miscendis seditionibus. H. 1, 21 compositis rebus — in turbido. A. 1. 58 quieta turbidis antehabeo. A. 4, 1 compositae reipublicae. A. 11, 7 m. quieta republica. (Bekk. Nipp.; qui et a rep. Dubn.)

37. utilius ac melius. A. 1, 43 melius et amantius. A. 14, 43 melius atque rectius.

C. VERBA et PARTICIPIA.

8. Accumulare et congerere (divitias et opes). A. 3, 30 opum — primus accumulator. A. 13, 2 f. omnes in eam honores accumulabantur. A. 1, 4 f. congestos iuveni consulatus, triumphos. A. 14, 53 tantum honorum atque opum in me cumulasti. A. 3, 5 m. cuncta a maioribus reperta aut quae posteri invenerint cumulata.

4. agitare et insequi. *Cic. ins. et a.*

32. circumcisa et amputata. *Pl. E.* 1, 20, 19 *amputata oratio et abscisa. Cic. circumcidat atque amputet.*

11. concitatus et instinctus. Ag. 35 instinctos (milites). H. 2, 46 furore quodam et instinctu flagrabant.

17. coniungere et copulare. *Cic. c. et cop.*

39. debilitare ac frangere. *Cic. d. et f.*; *fractum ac deb.*

28. educandos formandosque. *Pl. E.* 1, 14 *formari et institui.*

11. efficere et eniti. *Cic. e. et eff.*

9. elaborare et efficere. *Cic. el. et eff.*

32. eminet et excellit. *Pl. P.* 2, 4 *excellit atque eminet.* 24, 4 *emines, excellis.*

39. excitare et incendere. *Cic. exc. et inflammare.*

9. librum excudit et elucubravit. *Pl. E.* 1, 3 *effinge aliquid et excude. Cic. causas diligenter elaboratas et tamquam elucubratas.*

23. fastidiunt, oderunt. H. 2, 68 oderunt ut fastiditi. H. 1, 51 fastidito Vindice. A. 13, 1 dominationibus aliis fastiditus.

27. fracta et deminuta. *Cic. f. et d.*

15. inridere et contemnere. *Cic. i. et c.*

33. institui erudirique. *Cic. i. et e.*

25. eloquentiae nascenti adhuc nec satis adultae. H. 1, 31 incipiens adhuc et necdum adulta seditio. *Cic. non nascentibus Athenis, sed iam adultis.*

33. occupatus et obsessus. *Cic. obs. et occ.*

13. praesentem spectantemque. *Pl. P.* 56 f. *praesentem audientemque.*

28. probatis spectatisque. *Cic. sp. et pr.*

8. remotis et oblitteratis exemplis opp. recentia. H. 4, 8. 58 vetera exempla. H. 1, 50 nec iam recentia — pacis exempla, ad repetita bellorum memoria. H. 2, 3 vetus memoria — fama recentior. A. 3, 64 f. repetitis (sc. ex antiquitate) exemplis. A. 14, 20 vel si vetustiora repetas. A. 3, 6 f. vetustioribus exemplis. A. 4, 56 repetita vetustate. A. 11, 23 recentia haec opp. memoria.

18. solutum et enervem. A. 1, 50 f. languida et soluta (pax).

41. spoliatam vexatamque prov. *Cic. populata atque vex. prov.*

7. tueri et defendere. *Cic. t. atque def.* G. 14 illum defendere, tueri.

D. UBERTAS ORATIONIS.

5. Studium poeticae et carminum gloriam.
11. detrectaret poetas atque carminum studium prosterneret.
7. vulgus imperitum et tunicatus hic populus.
6. ingentium opum ac magnae potentiae.
8. causis forensibus et oratorio studio.
41. firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus.

H. 4, 86 studiumque litterarum et amorem carminum.
H. 4, 81 caeli favor et inclinatio numinum.
H. 1, 1 principatum Nervae et imperium Traiani.
H. 3, 81 studia philosophiae et placita Stoicorum.
H. 1, 83 discrimine urbis et periculo senatus anxius.

H. 1, 68 ante discrimen feroces, in periculo pavidi.
(H. 2, 77 m. discrimen ac pericula.)
H. 1, 37 poena mea et supplicium vestrum.
A. 2, 60 f. vi Parthorum aut potentia Romana.
A. 15, 16 certamen virtutis et ambitio gloriae.
A. 15, 58 fortuitus sermo et subiti occursus.
A. 15, 60 sermones mutuos et crebra conloquia.
25. iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.
Ag. 4 f. incensum ac flagrantem animum — sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae —.
H. 2, 37 f. neque — sperasse tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent.
2. ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris.
24. non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte.
33. neque tantum arte et scientia, sed longe magis facultate et usu.
37. non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione.
19. vi et potestate, non iure et legibus.
28. non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque.
Ag. 3 non spem modo ac votum — sed ipsius voti fiduciam ac robur.
G. 25 non disciplina et severitate, sed impetu et ira.
G. 27 lamenta et lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt.
Ag. 31 bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum.
Ag. 33 non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus.
G. 41 f. quum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus.
H. 5, 24 inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos.
G. 33 non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque.
(Dial. 9. egregium poetam vel, si honorificentius est, praeclarissimum vatem.)
H. 3, 53 m. non se nuntiis et epistulis, sed manu et armis.
H. 4, 76 f. verba et conciones quam ferrum et arma meditantis.

ADLITTERATIO.

A.

34. Adversarii et aemuli. 20 vulgus adsistentium et adfluens et vagus auditor adsuevit. 2 nullis alienarum artium adminiculis.
Ag. 31 ager et annus.
Ag. 44 adfinitatibus et amicitiis. A. 6, 9 f. adfinitatis aut amicitiae.
H. 1, 84 arma et animus. H. 4, 50 per arma atque acies.
H. 3, 10 artes et auctoritas. H. 3, 20 adspectu et auctoritate.
A. 2, 32 auctoritates adulationesque.
H. 1, 51 avaritiam et adrogantiam. A. 3, 34 ambitionem aut avaritiam. A. 2, 13 ambitiose avareque. A. 16, 23 amicitia P. et ambitio.
A. 15, 43 angustiae itinerum et altitudo tectorum.
A. 16, 31 altaria et aram complexa.
H. 3, 22 m. anceps, atrox. H. 2, 86 ambigua, ancipitia.
H. 3, 26 m. arduum et nullo iuxta subsidio anceps.
H. 4, 65 adire adloquique. H. 1, 52 adimendis adsignandisve.
H. 1, 21 agendum audendumque.
H. 3, 54 f. abnuentique — atque — arguenti.
A. 15, 58 f. adsistenti adnuentique. A. 15, 51 accendere et arguere.
A. 4, 2 m. adeundo, adpellando.
A. 15, 15 m. adgnoscentes abstrahentesque.
A. 12, 51 amplecti, adlevari, adhortari.

Ag. 24 armatorum adspiciebantur et adhuc adfluebat — iuventus.
Ag. 32 vanus adspectus et auri fulgor atque argenti.
Ag. 33 agmina et armorum fulgores audentissimi —.
G. 7 ante aciem agunt, admiratione praesunt.

C.

15. Concentu et clamoribus. 18 coniungere et copulare.
31. conlectum et concludens. 6 conversos: coire populum et circumfundi coronam.
H. 5, 15 cantu aut clamore. H. 2, 8 citharae et cantus. A. 3, 12 contumacia et certaminibus.
H. 2, 20 f. consilia curasque. H. 1, 87 m. consilium et custodes.
H. 1, 30 comissationes et f. coetus. H. 4, 64 conloquia congressusque. A. 4, 69 congressus, conloquia. A. 13, 46 f. congressu et comitatu. A. 3, 40 conciliabula et coetus. A. 3, 53 in conviviis et circulis. A. 14, 15 m. conventicula et cauponae.
H. 5, 23 f. classis aut commeatus. A. 15, 14 castellaque et commeatus.
H. 4, 49 crimen caedemque. H. 5, 17 captivitatem cladémque.
A. 5, 6 non crudelitatem, non clementiam.
A. 14, 27 consensu et caritate.
Ag. 43 caeca et corrupta mens adsiduis adulationibus.

G. 16 connexis et cohaerentibus.
H. 2, 95 caesae — cremataeque. H. 4, 72 clausas caesasque.
A. 13, 54 f. captis caesisve.
A. 3, 56 f. capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis — consulem.
H. 5, 3 sic conquisitum conlectumque vulgus.
H. 3, 54 confidenti consultantique.
H. 2, 21 f. celebrantes culpantesve.
G. 11 computant — constituunt — condicunt.
G. 45 cingi cludique. H. 1, 47 f. concedi corpora cremarique.
A. 11, 16 m. celebrari, coli. A. 15, 44 confluunt celebranturque.
H. 3, 20 consultando, cunctatione.
H. 1, 55 cunctanter, mox consensu.
H. 3, 58 f. primo cunctanter, — mox contemptim.

A. 2, 40 clandestini coetus celebrabant.
A. 15, 40 continuae violentiae campus et velut vacuum caelum.
H. 1, 52 consulatus, censuram, conlegium Caesaris.
H. 2, 91 comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans.
A. 4, 27 classiariorum copia coeptantem quum maxime coniurationem.
H. 2, 8 credentibusque: ceterorum casus conàtusque in contextu o. dicemus.
H. 2, 42 cominus eminusque catervis aut cuneis concurrebant — conlato gradu, corporibus — ceteris conspicui certabant.
H. 3, 29 conspicuus — capta castra conclamavit: ceteri — praecipitantibus, perrupere.

D.

40. Dissensionibus et discordiis. 18 deterius — diversum.
Ag. 32 dissensionibus ac discordiis.
H. 3, 66 discrimen ac dedecus. H. 1, 71 non deliciis neque desidia — dilatae voluptates, dissimulata luxuria.
A. 6, 32 dissimulatione ac donis.
G. 16 discreti ac diversi. H. 3, 15 discordes — discretos.
H. 3, 53 discordes dispersasque. A. 2, 43 divisa et discors.
A. 15, 10 m. in diversa ac deteriora.

E.

9. Excudit et elucubravit — elaborare et efficere.
11. efficere et a. eniti. 30 exundat et exuberat.
32. eminet et excellit.
H. 3, 2. 19 equites equosque. A. 2, 5 equitem equosque.
H. 5, 24 exsulem eum et extorrem.

F.

13. Forum famamque. 37. de furto aut formula et interdicto.
Ag. 42 famam fatumque. Ag. 39 impetus famae et favor militum.
Ag. 46 formam (Muret; Codd. famam) figuramque.
A. 14, 1 m. formam — fecundidatem. A. 2, 53 f. fecunditate ac fama.
H. 1, 30. 4, 58 fides famaque. H. 3, 52. 5, 10 fortuna famaque.
H. 3, 1 fato fideque. H. 4, 67 fasque et foedera.
A. 13, 15 f. neque fas neque fidem. A. 4, 38 facta atque famam.
H. 4, 59 f. famem ferrumque. H. 4, 32 f. ferro fameque.
H. 3, 73 A. 1, 51 ferro flammisque. H. 4, 76 formidinem, fugam famemque. H. 3, 73 fugam ac fallendi artes.
G. 45 rarus ferri, frequens fustium usus: frumenta ceterosque fructus.
Ag. 33 flumina fatigarent, fortissimi —.
H. 2, 46 fortunam furore — flagrabant.
A. 4, 65 frequens fecundusque. H. 2, 50 fabulosa et fictis obl. H. 3, 54 fingeret falsisque ingr. A. 3, 50 flagitia et facinora. A. 6, 6 facinora atque flagitia.
A. 14, 62 facilitate pr. flagitiorum — fingit fateturque. A. 16, 32 f. fraudibus — aut flagitiis — falsos — et fallaces.

I.

19. Directa dicendi via non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum — sed iudicio et intellectu.
Ag. 20 vel incuria vel intolerantia.
G. 25 impetu et ira, ut inimicum.
H. 1, 57 instinctu et impetu. A. 14, 16 impetu et instinctu.
H. 3, 75 innocentiam iustitiamque. H. 1, 45 industriae eius innocentiaeque. A. 16, 23 iustitia atque industria.
H. 4, 11 ignaviae infamiaeque. A. 3, 52 ignominiam et infamiam.
A. 11, 26 insidiis incautum, ita irae.
A. 2, 65 f. ius et iniuriam. A. 12, 69 iniuria et invidia.
A. 13, 42 simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae.
5. invidis et inimicis. 9 inanem et infructuosam.
16. inauditum et indefensum.
H. 1, 6 inauditi et indefensi. A. 2, 77 inauditum et ind.
Ag. 46 multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruit.
G. 12 ignavos et imbelles et c. infames.
Ag. 15 G. 31 ignavis et imbellibus. A. 12, 12 industrios aut ignavos.
Ag. 31 integri et indomiti. H. 1, 71 f. fides integra et infelix.
H. 3, 13 f. integros incruentosque. H. 4, 35 indomitum militem et d. infensum. H. 4, 70 invisus a. infensusque.
H. 2, 60 f. innoxium et inemptum. H. 3, 47 indiscretum et innoxium. H. 3, 74 immixtus ignoratusque. H. 1, 63 instructi intentique. A. 2, 12 immensi et inconditi.
H. 3, 14 ignaros et insontes. H. 4, 59 inconrupta atque intemerata. A. 1, 42 inausum intemeratumve.

A. 16, 26 intemeratus, impollutus. A. 2, 38 intempestiva quidem et improvisa.
H. 4, 24 invalidus c., invisus militibus.
H. 1, 35 f. intrepidus — inconruptus. H. 3, 34 intacta, — infelix.
H. 1, 11 insciam —, ignaram —. H. 3, 59 ignarus — improvidus.
H. 4, 32 ingratam m., immortalia tr.

L.

40. Licentiae — libertatem.
26. lascivia verb. et levitate sent. et licentia comp.
22. locupletem ac lautum. 22 lentus — longus.
H. 2, 10 inter libertatem et licentiam. H. 1, 12 licentia ac libidine talia loquendi.
G. 27 lamenta et lacrimas. H. 2, 49 f. cum laudibus et lacrimis.
A. 3, 59 litora ac lacus.
A. 15, 64 f. libare se liquorem illum Iovi liberatori.

M.

31. Misericordia atque qu. animi motibus.
36. flamma materia alitur et motibus excitatur.
Ag. 36 ad mucrones et manus. G. 37 metiaris molem manusque. H. 4, 28 machinas molemque op.
G. 1 mutuo metu aut montibus. H. 1, 25 metu mutandae militiae.
A. 15, 42 magistris et machinatoribus. A. 2, 32 mathematicis magisque. A. 3, 56 modestiae N. et s. magnitudini.
Ag. 28 magnum ac memorandum. H. 2, 95 magna ac misera civitas.
H. 2, 49 modicum et mansurum.
H. 3, 40 multo ac molli agmine. A. 1, 40 muliebre et miserabile agmen.
A. 12, 38 multa et magnifica.
H. 4, 38 maesta et multiplici metu susp. A. 6, 40 maesta et miseranda.

N.

11. In nobis notitiae ac nominis. 36 plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. 34 notae leges, non novi vultus.
G. 38 nationibus nominibusque discr. H. 2, 48 nominis — nobilitatis.
A. 3, 53 f. familiarum numerum et nationes. A. 5, 4 f. adversum nepotem et nurum.
A. 1, 17 nisi novum et nutantem.
A. 4, 17 si nulla et ubi nimia est.

O.

6. Non orbitati, non officii — adm.
22. oblitterata et olentia. 29 occupatus et obsessus.
G. 33 oblectationi oculisque. A. 16, 18 officiis et oblectamentis vitae.
H. 3, 71 oppugnatores — an obsessi. H. 4, 22 obstupefecerant obsessos, et spem oppugnantium.
A. 13, 19 opibus et orbitate.
H. 3, 85 erigere os et offerre contumeliis.
A. 1, 41 f. orant, obsistunt.

P.

5. perpetua potentia ac potestate.
8. potentissimi — civitatis ac — principes fori.
24. a patre vel a propinquis.
19. paucissima praecepta rhet. aut philosophorum placita.
G. 13 vel pater vel propinqui. G. 19 parentes ac propinqui.
G. 31 patria ac parentibus. H. 3, 84 patriam, — penates. H. 3, 86 paternos penates. A. 1, 59 f. patriam, parentes.
G. 40 proeliis et periclitando. H. 3, 84 tot proeliis laboris ac periculi. A. 1, 24 periculorum praemiorumque. H. 4, 43 praemia periculorum. A. 6, 7 f. pericula et poenas.
H. 1, 25 pretio et promissis — pecunia ad pertemptandos plurium animos. A. 6, 43 pecuniam et pellicem. A. 15, 54 f. immensa pecunia et potentia.
H. 5, 16 pacis amor praemiaque et quies in posterum.
H. 3, 7 f. placere G. principatus et partes.
A. 2, 56 proceres plebemque. A. 13, 17 f. patribus populoque principem. A. 16, 1 incusare principem et pupillum vocare.
A. 15, 19 praeturas et provincias inter patres sortiti.
A. 4, 48 f. perfugae et proditores ferre arma ad — patriae servitium.
A. 2, 11 pontibus praesidiisque impositis.
H. 3, 24 pudore et probris. H. 3, 11 procacitatis et petulantiae. H. 4, 20 procax ante periculum.
H. 3, 81 studia philosophiae et placita Stoicorum.
A. 13, 42 f. qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis.
2. purus et pressus et — profluens.
29. propria ac peculiaria. 32 primam et praecipuam.
G. 19 paucissima adulteria, poena praesens et maritis permissa.
A. 3, 38 vulgus praeceps, pavidum.
A. 14, 14 praecipuum et praescium.
A. 13, 16 propria et parciore mensa.
H. 2, 19 provisa parataque. H. 2, 76 m. polluendam perdendamque.
28. praefuisse educ. ac produxisse principes liberos.
H. 3, 22 postera die profligare ac proruere.
H. 3, 81 propellerent proculcarentque.
A. 1, 51 f. pergerent, properarent. A. 14, 43 m. nemo prohibuit aut prodidit.
30. philosophiae partes penitus. 32 praecepta prudentium penitus.
Ag. 6 provincia — parata peccantibus et proconsul — pronus.
Ag. 19 quae in quaestum — provinciae prudens — parvis peccatis — peccaturos praeponere.
G. 2 quis porro praeter periculum — peteret.
G. 17 proxima pars pectoris patet.
G. 26 f. pomaria conserunt et prata separent — sola terrae seges.
G. 46 passim comitantur partemque praedae petunt.

H. 1, 2 plura e. ac plerumque permixta: prosperae —.
H. 1, 48 post praeturam praepositus probatusque — probro.
H. 2, 46 primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt: — proximi prensare g., promptissimo Plotio F., is praetorii praefectus.
A. 1, 3 posita puerili praetexta principes iuventutis.

R.

H. 4, 42 m. Retinete P. C. et reservate. A. 4, 33 m. retinent ac redintegrant.
A. 2, 24 f. rapti et remissi a regulis. A. 15, 15 raptae v., retenta a.

S.

11. Statum — ac securitatem. 32 sensus et — sententias.
H. 4, 85 si status imperii aut salus Galliarum.
H. 3, 53 salutem securitatemque.
Ag. 22 secretum et silentium.
Ag. 6 in subsidium et solatium. Ag. 30 spem ac subsidium.
Ag. 34 silvas saltusque. A. 2, 14 silvas et saltus.
G. 31 super sanguinem et spolia. H. 4, 14 spoliis et sanguine.
H. 4, 72 stipendiorum et sacramenti diem. A. 15, 29 m. aquilis signisque et simulacris d.
H. 2, 22 sagittis aut saxis. H. 3, 27 sagittis saxisque. A. 6, 1 saxa et solitudinem.
A. 4, 60 vigilias, somnos, suspiria.
H. 4, 27 f. scelerum ac suppliciorum. A. 4, 33 f. rerum similitudine et satietate.
A. 16, 22 m. sectatores vel potius satellites.
13. securum et secretum (Farnes. et Paris.) Verg. secessum.
H. 2, 15 securum h. et successu r. socordius agens.
H. 4, 73 superbiae socordiaeque. H. 3, 31 f. superbiam saevitiamque. H. 3, 77 superbe saeveque. A. 1, 72 in saevitiam superbiamque. A. 3, 40 saevitia ac superbia. A. 6, 31 superbiam —, saevitiam —.
G. 4 sinceram et tantum sui similem.
H. 3, 38 sciat et sentiat vivere Vitellium.
H. 4, 24 stare contra, struere aciem.
A. 2, 42 statuit, struxitque. A. 11, 27 audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse.
12. strepitu — sordes, sed secedit — sedibus sacris.
4. satis superque sudatum est, sanctiorem —.
Ag. 39 secreto suo satiatus — statuit. Ag. 16 seditio sine sanguine stetit. G. 46 sola in sagittis spes. H. 3, 66 ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum, sed —.
H. 4, 42 spoliis septuagies sestertio saginatus (ex coni. Faerni) et sacerdotio f.

T.

22. Eo — volo tecto tegi.
H. 3, 30 f. trabibus tegulisque. H. 3. 20 tormentisne an telis. H. 3, 84 testudinem, tormenta. A. 15, 9 e. trabibus ac turribus a.
A. 16, 28 fora, theatra, templa.
H. 4, 2 f. tristes et truces.
G. 3 terrent trepidantve. H. 3, 85 terret solitudo et tacentes loci, tentat —.

V.

31. Vim virtutum pravitatemque vitiorum.
8. Vespasianus, venerabilis senex et p. veri.
Ag. 1 virtus vicit ac s. — vitium.
H. 3, 13 Vespasiani virtutem viresque.
Ag. 33 vota virtusque. Ag. 37 victis ira virtusque.
Ag. 18 victoriam vocabat victos cont. H. 7, 74 f. victi victoresque.
G. 34 virtutis ac virium. H. 5, 25 virtutem et viros indici.
H. 3, 20 f. vim victoriamque. H. 4, 69 f. viresque aut vetustatem originis. H. 2, 5 f. per virtutes, per voluptates.
H. 1, 9 f. nec vitiis, nec viribus. H. 4, 75 vana et sine viribus nomina.
H. 1, 71 falsae virtutes et vitia reditura.
G. 10 voces volatusque avium.
H. 1, 18 verba ac voces. H. 3, 65 verba vocesque.
H. 4, 32 vincula m. et — voces. A. 1, 17 verbera et vulnera.
H. 1, 45 voce vultuque. H. 3, 58 m. vultu, voce, lacrimis. A. 2, 17 insignis manu, voce, vulnere. A. 16, 29 voce, vultu, oculis. A. 12, 36 f. aut vultu — aut verbis. A. 15, 55 f. vocis ac vultus. A. 6, 50 f. vocem ac visus vocarique.

OPPOSITA.

Cfr. Doederl. Proleg., Haasei Proleg., Langii dissert.

1. Aut de ingeniis male existimandum, si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus.
2. cui desidiam advocationum obicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo.
10. mediocres poetas nemo novit, bonos pauci.
8. principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia — ab ipso principe — diliguntur.
12. felix — saeculum et oratorum et criminum inops — vatibus abundabat qui bene facta canerent, non male admissa defenderent.
13. nec imperantibus satis servi videntur nec nobis satis liberi.

25. mutua malignitas non est oratorum vitium, sed hominum.
32. olim omnium artium domina — nunc — paene dixerim sine ingenuitate.
40. alumna licentiae quae stulti libertatem vocabant.
Ag. 45 f. ille rubor quo se contra pudorem muniebat. (H. 4, 40 crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.)
H. 1, 65 uno amne discretis connexum odium.
H. 2, 96 successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.
H. 2, 42 f. diutius durant exempla quam mores.
H. 1, 36 omnia serviliter pro dominatione.
H. 1, 88 f. multi afflicta fide in pace, turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.
H. 1, 22 genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax et vetabitur semper et retinebitur.
A. 12, 52 de mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et irritum.
25. non est oratorum vitium, sed hominum.
H. 4, 74 m. vitia erunt, donec homines.
2. contemnebat potius litteras quam nesciebat.
8. divitiae et opes quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat.
11. melius innocentia tueor quam eloquentia.
14. otium — mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.
16. quas intellexerimus se non tam omisisse quam nobis reliquisse.
37. utilius — frui pace quam bello vexari.
41. melius non queri quam vindicari.
H. 3, 78 ostentare potius urbi bellum quam inferre.
H. 3, 60, f. nec concupiscerent Romam capere potius quam servare.
Ag. 2 f. si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.
H. 3, 63 f. si — ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.
A. 6, 14 f. oblivione magis quam clementia.
H. 2, 46 m. maiore animo tolerari adversa quam relinqui.
1. si idem adsequi non possumus — si nolumus.
H. 1, 17 quasi imperare posset magis quam vellet.

ADLITTERATIO OPPOSITORUM.

A. SUBSTANTIVA.

a.

5. Praesidium amicis, opem alienis — ferat.
32. tamquam in aciem omnibus armis instructus; sic in forum omnibus artibus armatus.
Ag. 9 nec — facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit.
H. 2, 56 f. minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis.
A. 15, 21 f. ut — infracta avaritia est, ita — ambitio cohibetur.
A. 6, 7 m. neque discerneres alienos —, amicos —.

c.

3. tot causae, tot — clientelae.
20. aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut — cultu descriptionum.
G. 22 rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur.
H. 2, 27 f. posito hostium contemptu et recuperandi decoris cupidine.
H. 5, 12 magna conluvie et ceterarum urbium clade aucti.
H. 1, 38 f. nullus cunctationis locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.
A. 5, 6 f. non crudelitatem, non clementiam — experiar.
A. 14, 35 f. si copias armatorum, si causas belli secum expenderent.
A. 14, 33 Londinium — cognomento quidem coloniae non insigue, sed copia — commeatuum maxime celebre.

f.

H. 1, 48 fama meliore quam fortuna. H. 4, 28 m. meliore usi fide quam fortuna.
H. 1, 30 f. proinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis.
A. 2, 65 alter facilitate, alter fraude.
A. 16, 2 f. summa facundia — fingebant, securi de facilitate credentis.

i.

19. non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum — sed iudicio et intellectu.
A. 12, 2 cui non iudicium, non odium erat, nisi indita et iussa.
1. aut de ingeniis — aut de iudiciis.
2. ingenio et vi naturae quam institutione et litteris.
H. 5, 4 dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum.
Ag. 3 subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo et invisa primo desidia, postremo amatur.
H. 1, 72 f. nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis.
A. 3, 12 m. cuncta proferat quibus innocentia eius sublevari aut siqua iniquitas Germanici, coargui possit.

l.

40. alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant.
G. 25 impares libertini libertatis argumentum.
H. 2, 10 in civitate — inter libertatem ac licentiam incerta.
A. 4, 35 (Graecorum) non modo libertas, etiam libido impunita.
A. 14, 21 laetitiae magis quam lasciviae dari noctes.

m.

